
CORN: HENR: A ROY. MEDICINÆ DOCTOR.

De afflictionibus spiritualibus.

Scripsit

O. D. Lütken,

Diaconus in pago Fionensi Lumbye.

Hafniæ MDCCCXXI.

Typis Excudebat Andreas Seidelin,
Aulæ Regiæ & Universitatis Typographus.

Introductio.

Inter omnia mala, quæ mens humana, his in terris versans, perpeti possit, nullum certe afflictione spirituali magis tremendum. Afflicti enim de gratia divina et salute æterna desperant, et plerumque persvasum habent, se horrendo dæmonum malorum arbitrio esse subjectos. Quæ quidem persuasio non in omnibus afflictis æque est firma; alii enim credunt se jam in hac vita nocivam dæmonum vim sentire, alii modo timent, ne hanc in altera vita sint experturi. Omnes terriculæ, quas phantasia superstitiosa et excitata procreare, omnes pavores et cruciatus furiales, quos parare valet, miseros homines per-

sequuntur, et omni spe eos privant. Est igitur conditio talium hominum tristissima, et, ex mea saltem sententia, impiorum poenis in tartaro, quem fingebant veteres, simillima. Commiseratione ergo dignissimi infelices homines, qui tali animi morbo vexantur, sed deplorandi quoque amici et proximi eorum, testes vexationum, quas mitigare rarissime valent. Tristis est quoque sacrorum ministri conditio, cum ad tales afflictos arcessitus, et tempore et industria frustra consumta, dolores eorum lenire haud valet. Verum contra gaudium, si contingeret, illos ad spem salutis revocare et a moestissimo sui ipsorum cruciatu liberare. Quo paratior hoc opus aggreditur, eo verosimilius est conata ejus haud fore irrita. Præterea sine dubio haud invitus videbit, quæ ab aliis eadem in re sunt comperta et observata. Nulla mihi adhuc innotuit commentatio de his mentis humanæ tenebris conscripta, nec novi ullum librum, qui in hac re sacrorum ministro vel ægri amico viam veram et satis securam monstrare possit. Equidem, primo ecclesiastici muneris anno ad hominem angoribus prorsus confectum vocatus, talem librum desideravi, quem mihi deesse adhuc gravius tulissem, ni colloquia cum patre et alio

ætate provecto pastore, qui ex anxiis optime meritus, multis afflictis solatio fuisset, desiderium inexperti tironis aliquo modo explevissent. Nondum quidem veram solandi afflictos viam aliis ostendere valeo, neque hoc vane præ me fero; sed operis pretium putavi, gravissima, quæ duo nuper nominati pastores experti sunt, et proprias nonnullas observationes tractatiuncula qualicunque colligere, ut et pastores juniores hanc vel illam animadversionem ibi reperirent, et seniores propria sua placita aliorum quoque annotationibus stabilita viderent. Quam tractatiunculam latine conscripsi, nullo modo quia me hujus lingvæ satis peritum putavi, nec vano, et parocho minime apto, eruditionis jactandæ studio; sed quo liberius scriberem, quæ afflictorum medicis utilia essent, certior factus scripta ab ipsis afflictis nec lecta nec prave intellecta fore. Afflictos vero rarius latinam linguam callere, jure statui potest. Verumtamen si hæc tractatiuncula in aliquem afflictum latinæ lingvæ peritum incidat, is, majore animi cultura gaudens, eam nec male interpretabitur, nec prave intelliget; si autem hoc quoque accideret, equidem græcæ et hebraicæ lingvæ adhuc minus peritus, hujus incommodi insons forem.

Ipsa de afflictis commentatio in tres abit partes, quarum prima agitur de variis *modis*, quibus afflictio spiritualis se exserit, secunda de *causis* hujus morbi, et tertia de *remediis* ipsius. Ut vero brevior et luculentior fieret commentatio, et tædium, quod aliâs ex frequentibus iterationibus oriretur, evitarem, singulis causis sua remedia subjungere conatus sum.

P a r s I^ma^.

Varii modi, quibus afflictio spiritualis apparet.

a) *Ægritudo animi seu melancholia*, quæ hominem in suum dolorem adeo ingeniosum reddit, ut hujus vitæ et rerum terrenarum pertæsus, ne de futuro quidem tempore boni quidquam sperare audeat. De veritate totius religionis christianæ vel singulorum ejus dogmatum subinde dubitat infelix homo, qui gravi aliquo et diuturno incommodo oppressus sese a deo derelictum putat. Si altioris est ordinis melancholicus, plerumque de animi immortalitate

dubitat, et sortem suam a fato quodam coeco, casibus et necessitate ducto, dirigi opinatur; si vero humilioris est ordinis vel plebejus, persæpe superstitioni deditus, vim sagarum vel dæmonum malorum adeo timet, ut hanc quoque causam esse dolorum quin etiam melancholiæ ipsius, constans sit ejus opinio. Quæ melancholia religiosa jam vultu austero et tetrico et studio abeundi in solitudinem et secessum, jam vero lacrymis, voce flebili, querelis et ejulatu se exserit, sed semper fere ignaviâ, tædio laboris, et summo muneris operum et negotiorum fastidio conspicua est.

b) *Conscientia nimis tenera*, quæ in levi quavis re et in adiaphoris dubia hærens, ea religioni sibi ducit, nescia an jure fieri possint, nec ne, et quam poenitet facti cujusvis, quod severissimæ morum leges vix ac ne vix quidem inter peccata annumerant. Si homo quidam hac tenera conscientia præditus, factum quoddam vere vituperandum commiserit, conscientia eum ita mordet et pungit, ut interdum continuo clamitet et ejulet. Cuique fide digno peccatum suum flens et lacrymans indicat, ex omnibus, quibus confidit, cupiens audire, peccatum suum posse remitti, licet illis affirmantibus nil om-

nino confidat, et solatio eorum haud erigatur. Animus in culpam suam omni vi attentus, nihil aliud sentit et percipit. Mulier quædam hujus generis dixit, se ne unicum quidem verbum ex concionibus, quas audiverat, percepisse, nisi cum sermo esset de peccato poena vel remissione peccatorum, cetera omnia autem aures suas tanquam inanem sonum præterivisse. Nec amplius hi anxii legendo proficiunt. In sacra scriptura et libris asceticis id solum legunt et reputant, quod moestis ipsorum cogitationibus consentaneum est. Rerum adversarum, quas poenas divinas habent, multiplici pondere opprimuntur. Nisi hi anxii corda aggravata mox confitendo coram cordato pastore levare possint, periculum est, ne moestæ quædam cogitationes tam validæ fiant et adeo animo coalescant, ut haud amplius summoveri possint; nam animi morbus facile ita augeri potest, ut paullatim fiat amentia particularis vel fixa idea, quam vocant, cum homo ex parte mente captus sit.

c) Hæc afflictio spiritualis, quæ jam in *amentiam particularem* vel *fixam ideam* abivit, moestissima est. Homo nondum ita mente captus est, ut phantasiæ simulacra a veris rerum repræsentationibus, per sensus acceptis, non

valeat discernere; sed cogitationes quædam tam validæ sunt, et animus ita omnibus viribus in eas intentus, ut quas modo per breve temporis spatium externa vi coactus missas faciat, mox, vi remota, resumat. Talis homo igitur non amplius sui omnino compos est. Huic afflictionis gradui, quo æternæ salutis desperatio tam firmata est, ut nullo remedio propellatur, et rationem dominio mentis ex parte privet, fixæ ideæ nomen tribui, etsi scio non plane idem esse, quod ita vocari solet. Fixam scilicet ideam vulgo appellant phantasiæ commentum, quod homo a veris suis repræsentationibus discernere non valet et quod ideo verum existimat. Qui cauda ovili se præditum vel corpus suum vitreum esse putat, is fixæ ideæ, proprie sic dictæ, deditus, cujus origo in sola imaginatione quærenda est *). Alii vero fundamento

*) *Spinello* hatte in dem Gemählde des Falls der aufrührischen Engel den Lucifer mit so schrecklichen Zügen gemahlt, dass er sich selbst dafür entsetzte und seine ganze übrige Lebenszeit sich einbildete, dieser Teufel sässe neben ihm, und rückte es ihm vor, dass er ihn in einer so scheuslichen Gestalt entworfen habe. — Tasso glaubte in den letzten Jahren seines Lebens, dass ihm, wie dem Socrates sein Dämon, ein Geist

superstructa est afflicti persvasio, notionibus scilicet de propria indignitate et de justitia divina peccatum poenis prosequente. Notiones et ratio ejus phantasmatibus et repræsentationibus commentitiis haud perturbantur; sed ipsæ notiones eum vexant; quæ vexationes phantasiæ terriculis de tartari flammis vel de nigris dæmonibus forsan augentur, cum semel ortæ sint, minime vero ex illis originem habent. Quanquam autem hæc afflictio spiritualis, cogitatio scilicet talis fixa et dominans, quoad causam et

erschiene. Sein Freund der Ritter Manso suchte ihn zu überreden, dass diese Erscheinung eine Täuschung seiner Phantasie sey. Allein Tasso bat ihn, einer solchen Zusammenkunft beyzuwohnen, um sich von der Wahrheit zu überzeugen. Manso kam, und mitten in der Unterredung heftete Tasso auf einmal seinen Blich auf ein Fenster, blieb unbeweglich und nannte den Geist bey seinem Namen. Hier ist der freundschaftliche Geist, sagte er, der sich mit mir unterhalten will, gieb Acht und überzeuge dich, dass alles Wahrheit sey, was ich gesagt habe. Manso sah und hörte nichts. Auf einmahl fing Tasso mit grossem Ernst zu reden an, legte dem Geiste Fragen vor und antwortete ihm. Endlich endete sich die Unterredung mit dem Abschied des Geistes. — Reil Fieberlehre 4 Bd. 3 Kap. pag. 362.

originem fixis ideis, proprie sic dictis, dispar sit, his contra effectu apparitionibus et dominio, quod in afflicti cogitandi agendique rationem exercet, adeo similis est, ut, cum ad hunc usque gradum pervenerit, nomen magis aptum, quam amentiæ particularis seu fixæ ideæ haud noverim. Quo afflictionis gradu conditio hominis horrifica est. Defixus in damnationis et æternæ miseriæ cogitatione, omnibus vitæ gaudiis renuntians, trepidatione æstuans, sempiterno angore jactatus et agitatus, nec studet nec valet aliquod negotium vel opus suscipere, nec aliquid cogitare, nisi miseriam suam; quam vanam et fictam esse nullo modo convinci potest. Fixam suam cogitationem mirifica sæpe sagacitate, quæ homines stupere facit, defendit, et pro illa longe majore tenacitate pugnat, quam pro omnibus bonis et tota fortuna tuenda pugnaret. Si quoque afflictum multis argumentis et demonstrationibus in angustias a te redactum, plana simplici et perspicua tua ex opinionibus ipsius deducta ratiocinatione erroris sui convictum putes, quippe qui in silentium redactus nihil amplius argumentis tuis opponat, cave tamen ne præmaturum ex conversione ejus gaudium capias. Verba, quibus fixam suam cogi-

tationem eloqui solebat, forsan mutat, formulam, qua eam exprimere consveverat, fortasse relinquit, ipsam vero cogitationem retinet et eam tantum aliis verbis exprimit, alio modo proponit. Mulier quædam afflicta v. c. fixam suam cogitationem primum his verbis eloquuta est: *gratiam obtinere nequeo.* Cui equidem, sæpius colloquia cum illa serendo, multis popularibus argumentis, ex sacra scriptura et ratione petitis, probare conatus sum, eam gratiam posse obtinere. Quæ diu objectionibus reluctata, tandem argumentis prolatis convicta concedere, et affirmationibus meis et claris sacræ scripturæ effatis et promissis confidere videbatur; ne vero nimis hac conversione gauderem, mox addidit: "hæc omnia quidem vera, ast ego tamen per omnem æternitatum æternitatem in tartaro jacebo." Simulac fixam ejus cogitationem, certa quadam formula propositam, expugnaveram, cogitatione retenta, formulam mutavit; v. c. "Prorsus deum reliqui"; "ad diabolum omnino transgressa"; "Fidem adipisci nequeo, et quisque fidei particeps salvandus, fidei vero expers damnandus est." De propria sua conditione itidem vario tempore variis usa est vocibus, quarum tamen omnium sensus fere

idem, v. c. "spem omnem abjeci", "prorsus de mundo egressa", "nimis longe in scriptura progressa sum"; "nil mihi deest nisi cor lætum"; "converti nequeo"; "malis oppressa sum"; "aperiendum esset mihi" etc.

Satis memorabile etiam est, ex una eademque fixa cogitatione contradictiones quam maxime, ut videtur, oppositas procreari posse. Qui itaque damnatum sese existimans vitæ sustentandæ causa perpetuo cibum sumit, ut tartarum diutius fugiat, idem forsan eodem tempore consilium consciscendi sibi necem animo agitat. Ita aliquis salutem suam æternam obtestari et coeli suam partem juramento obstringere possit, se nunquam posse salvari vel se nunquam æternam salutem accepturun. Novi quoque hominem, qui perpetuo vexabatur timore, ne subitam mortem ante solis occasum obiret, et tamen brevi post a me precatus est, ut ipsum occidendum curarem, persvasum habens, se via naturali nunquam esse moriturum. Sic et is, qui semper de tartaro sciscitet, timens ne illuc perventurus sit, eodem timore seductus violentas manus sibi imponere et igitur, secundum propriam opinionem, horrendam istam animi sui condi-

tionem properare possit, quam retardare ei optabilius videretur.

Afflictus quidam hujus generis de conditione sua cogitans, semper circulum in demonstrando commisit. Quærenti ex eo, cur anxius et inquietus esset, respondit: "quia puto me in regnum dei haud posse pervenire"; et iterum percunctanti, cur hoc putaret, reposuit: "quia tam anxius sum et inquietus." Anxietatem putabat esse causam miseræ suæ conditionis, et in hac misera conditione iterum causam anxietatis quærebat. Nullo autem pacto illum eo usque redigere potui, ut intelligeret, hunc esse circulum in demonstrando. Hunc vero circulum in demonstrando plerique afflicti, uno vel alio modo committunt. Interdum tales fixæ cogitationes subito, et, ut videtur, sine ulla externa occasione vel causa præeunte in animo hominis oriuntur, tum vero potius ad dementiam, quam ad afflictionem spiritualem pertinent.

d) Ad summum afflictionis gradum perventum est, cum sensuum repræsentationes perturbantur, et homo ficta phantasiæ simulacra veras esse res vel personas persvasum habet. Habet igitur talis afflictus visiones et audit voces, quas nemo præsentium audit aut videt. Si hasce

hallucinationes ut vanas non agnoscat, si repræsentationes falsas et ficta phantasiæ simulacra a veris discernere non valeat, tum afflictio fit perfecta dementia. Hoc tamen exstat inter has visiones et voces discrimen, quod aliæ earum ægroto obscuræ, aliæ autem ei claræ sunt. Priore loco solummodo ei visum est, se videre, audire, sentire vel sensu vitali seu communi percipere aliquid, quod non sit rectum ɔ: (rigtigt) quod sit extra solitum rerum ordinem vel præternaturale quid, ita tamen, ut fictum hoc præternaturale nulla certa et perspicua, claris limitibus circumscripta forma appareat. Afflictus solummodo universali modo sentit se aliqua re infestari, nescit vero, quo loco quæ aut qualis sit hæc res. Secundo autem loco homo credit, se certam aliquam rem aut certum quoddam ens, plerumque vero dæmonem, et eum rarissime bonum, videre, vel hujus dæmonis clamores, susurrum aut sibilum audire; quem animi statum seducturum esse ægrotum ad loquendi agendique rationem, quæ aliis hominibus mira videatnr, et confusiones et mentis perturbationes ex eo sequuturas esse, quis non videat? Memorabile est tamen nonnullos afflictos, de phantasmatum suorum veritate omnino persva-

sos, aliis imprimis alienis hominibus præsentibus, per breve tempus, vi sibi adhibita, animum vincere et se in ordinem cogere posse, ita ut in omnibus externis rebus prorsus sint ceteris hominibus similes. Hoc enim probat, eos ita saltem phantasmata a veris rerum repræsentationibus discernere posse, ut sciant, alios homines phantasmata non agnoscere, vel potius ut sciant, an quævis ipsorum repræsentatio ab aliis hominibus agnoscatur, nec ne, ut aliquod discrimen observent inter eas repræsentationes, quas ceteri quoque homines, et eas, quas ipsi soli habeant. Quorum hominum conditio non semper æque tristis, sed plerumque tristissima est. Magis horrifica hominis conditio cogitari vix potest quam ejus afflicti, qui canem nigrum, quem aliquis vesperi in carcere ejus oblitus erat, diabolum ratus, hunc diabolum autumatum, qui dentibus illum lacerabat, per totam noctem brachiis compressum tenuit.

Afflicti multas sæpe superstitiosas notiones animo fovent, quarum notissimæ sunt, quod credunt:

1) Se fato destinatos esse ad facinus quoddam perpetrandum, v. c. ad se vel alium occidendum. Novi v. c. afflictum quendam, qui

dixit, se forte securim manu gestantem, miram sensisse vocationem seu propensionem ad caput innocentis hominis feriendum. Ad talia facinora sæpe eo sunt propensiores, quod optant supplicio affici, antecapta opinione persvasi, supplicio affectum et peccatorum poenas in hoc mundo passum coelorum gaudiis certe fructurum; et innocentes, imprimis innocentes liberos necandos esse, ut per mortem a mundo depravato liberati ad Jesum ducantur. (Vide Fallesens theol. Maanedskrift 1805 pag. 80).

2) Dæmonem malum vere in ægroto habitare, hoc autem rarius. (Vide Fallesens theol. Qvartalskrift 1809 pag. 120).

3) Dæmonem malum homines ad peccata et postremo ad autochiriam seducere, eo consilio, ut eorum animas suæ potentiæ subjiciat. Ita aliquando vidi et audivi mulierem afflictam manu cultrum tenentem, quo vim sibi inferre cogitabat, et continuo clamitantem: firmiter tene satan! firmiter tene satan!

4) Sagas vel malignos homines magicis artibus vel incantamentis usos hanc gravem valitudinem et animi angorem sibi injecisse.

Cum igitur hic animi morbus tam tristibus effectibus et modis tam horrendis se exserat, jam

haud ab re erit, causas ejus requirere, et ad iterationis tædium evitandum singulis causis sua remedia subjungere.

Pars II^{da} et III^{tia}.

Causæ afflictionis spiritualis et nonnulla ejusdem remedia.

Prima causa, superstitio.

Causæ morbi vel imbecillitatis animi, quo afflicti vexantur, multæ et variæ esse possunt. Raro una causa est sola efficiens, sed plerumque plures conjunctim morbum procreant. Quarum notissima et efficacissima ets *superstitio*, hæc ignorantiæ filia. Superstitiosæ notiones adhuc satis obviæ sunt in plebe, licet minus nostris temporibus quam antea. Superstitiosas repræsentationes de sympathia ɔ: curationibus sympatheticis, de somniis, imprimis ad sortium aleas pertinentibus, præsagiis etc. etiam inter ordinis altioris homines exspectato plures adhuc obvias habui. Complures inter neotericos elegantioris gustus scriptores scripta et poemata sua præfa-

giis, somniis, aliisque superstitionibus condiverunt. Semen autem superstitionis, quod hoc modo spargebant, solo jam antea næniis et fabulis de spectris etc. satis culto et præparato germinavit et crevit. Cum vero tot sint superstitiosi inter homines majore cultura gaudentes, quid mirum in plebe inculta inter ruris colonos aliquot superstitioni deditos reperiri?

Ne vero aliquis dicat superstitionem jam esse fugatam, vel illam olim quidem ubique dominatam esse, nostris vero temporibus abrogatam nusquam reperiri, exemplum, cujus testis proximo anno præterlapso ipse fui, afferam; quod satis probat superstitionem in Fionia saltem nondum esse abrogatam. Puero cuidam duodecim annos nato, et febrem frigidam perpesso, in mentem venit non amplius de lecto surgere, et matre consilii ejus nescia vel conscia (haud enim liquet) inediam præ se ferre. Hunc puerum, natura gibbum corpore debili et vitioso præditum, vitricus ejus cogere noluit, timens ne vexationis coargueretur. Hinc puer callido et astuto ingenio gaudens, alienorum adventu culcitæ subiit, caput obvelavit, oculos clausit et se vocem amisisse et membris dissolutum esse

simulavit. Postea, re magistratuum imperio explorata, veritas facile apparuit; sed interim rumor percrebuerat hunc puerum sine alimentis vivere et igitur vitam ejus miraculoso modo sustentari. Fabula sane a multis etiam superioris ordinis hominibus credita est, qui rem penitius perspicere putabant et satis subtiliter disputabant: "naturæ vires innumeras, vias ejus investigabiles et inpenetrabiles esse etc." Forsan etiam opera docta apud nos de hac re scripta fuissent, veluti olim in alia terra de quæstione jocandi causa proposita: *cur piscis mortuus vivo plus ponderis haberet*, ni veritas præmature patefacta esset. Sed inter rusticos hoc pueri inventum varias fabulas procreavit, quarum una et satis characteristica hæc est: "Rustico cuidam, frumentum curriculo vectum ad oppidi forum proferenti, hunc puerum miraculosum et non edentem in via obviam venisse, et, brevi colloquio habito, svasisse, ut non primo sed secundo emendi cupido frumentum venderet; a quo non pecunias exigeret, sed moram ei concederet, qua lætus emtor ei ter potum præberet. Quod vero rusticus in fundo cujusque poculi reperiret, id sancte servaret. Nec hoc prædictum eventu caruisse; emtorem scilicet, cui secundo loco

rusticus frumentum venum dedisset, ter potum ei præbuisse, et rusticum in primo poculo hordei granum, in altero nummum aureum, in tertio autem sangvinem congelatum reperisse; qua re lætum et stupefactum puero in reditu narrasse vaticinum ejus exitum habuisse; puerum autem omen accepisse et hoc portentum ita interpretatum esse, ut hordei granum triennium uberrimum portenderet, nummus aureus divitias ubertate allatas, sangvis vero congelatus bellum et sangvinis effusionem, quibus deus hominum vitia, impietatem et flagitia, divitiis aucta, puniret." Hanc fabulam, fatuam quidem et insipidam sed characteristicam et nostro tempore inventam, proferre ideo volui, quod probat, clamorem variis locis de nimia luce plebi præbita sublatum, tolli ab hominibus, quid ipsi clament nesciis. Nam in manifesto lucis nostris temporibus progressu, in promulgatione ejus haud inficianda, tenebræ animorum multis in locis adhuc nimis densæ et spissæ sunt, et ignorantia vulgi sæpe nimia.

Aliud exemplum hoc est. Cum pejor et tristior in diem fieret conditio afflicti alicujus, affines ejus ex me quærebant, nonne preces in septem ædibus dominicis prolatæ opem ferrent?

De qua re cum equidem nil certi statuere auderem, quippe qui nescirem an hæ preces forsan mediate, ɔ: per afflicti in eas fiduciam et de efficatia earum persvasionem, aliquid proficerent; sed responderem, mihi haud verosimile videri, preces hominum, qui ne nomen quidem afflicti cognoscerent, ei profuturas, affines afflicti iterum quærebant, nonne tamen preces in æde dominica Lundensi prolatæ prodessent *). Constans etenim est vulgi in septentrionali Fioniæ regione opinio, preces pro ægrotis in æde Lundensi prolatas aliis precibus esse efficaciores. (Conf. Fallesens theol. Quartalsk. 1809 p. 120). Ambigua certe est quæstio de vi talium deprecationum. Liber rituum sacrorum Cap. VI. artic. II. sub finem eas commendat et jubet. Sed illa opinio, preces in una alterave æde dominica ceteris esse efficaciores, superstitionis nomen sane meretur.

Licet superstitio ét ignorantia non semper afflictionem spiritualem procreant, mentem tamen hominis solum fertile reddunt, quo, infortuniis vel morbis hominem vexantibus, afflictio

*) Lunde est pagus in septentrionali Fioniæ parte situs.

facile radicibus profundis firmari, nec nisi difficillime eradicari potest.

Primæ causæ remedia.

Hinc igitur patet omnibus rebus, quæ superstitionem exstirpant et lucem promulgant, afflictos fieri pauciores. Multa in hunc finem apud nos nostro ævo facta sunt, multum adhuc restat. Ut omnes liberi, non prorsus invita Minerva nati, legere discant consultum est; ut vero postea scripta bona et utilia adipiscantur, et difficillimis juventutis annis, religionis cognitione et rerum utilium peritia, æque ac ætate et cogitandi facultate, augeantur, huic rei nondum consultum est. Perutile igitur esset in quavis parochia bibliothecam parvam condere, ex qua parochiales libros bonos et sibi aptos mutuos acciperent, in quibus oblectamentum per longos hiemis vesperos et notitias operibus et negotiis suis utiles reperirent. Plebi aliquid, quod vespere hiberno læta legeret, præbere sine dubio voluit Grundtvigius noster, versionem Saxonis et Snorronis incipiens; sed ipse certe postea intellexit, se melius plebi consuluisse, si proprio marte chronicon patriæ in usum plebis

elaborasset. Nam Saxo et Snorro, gravissima et historico dilectissima historica monumenta, plebi omnino apta et utilia fieri nequeunt, nisi tot tantisque mutationibus, ut, his susceptis, Saxo et Snorro esse desinerent. Pulvis quoque temporis decursu attractus levi manu e carminibus heroicis Petri Syv detergeretur, et uno volumine hæc carmina ederentur, si iterum plebi cara et apta fierent.

Ceterum magnopere est dolendum nonnullos ex iis, qui in usum plebis scripserint, hanc rem omnino non intellexisse, nec plebis gustum cognovisse. Plerumque ad captum vulgi descendere et infirmitati legentium indulgere student vel potius præ se ferunt. Hac vero evidente et nimis conspicua indulgentia et popularitate plebem offendunt, haud secus ac nobiles inferioris conditionis homines præcipite quadam, inurbana et nimis conspicua comitate et civilitate offendere solent. Scripta, in quibus assidue ista formula: *care rustice!* occurrit, rarissime caro rustico placent. De rusticis et pecoribus, de suibus et frumentis semper legere rusticus minime gestit; de regibus autem, de equitibus et heroum rebus gestis, de principissis et amazonibus potius et majori studio legit. Et

cur quæso legeret, si in libro assiduas tantum curas suas et quotidiana negotia, quorum in vita sat habeat, reperiret. Optat rusticus in libro reperire illum advenam, cujus mentionem facit Harmsius in elegantissima concione, quæ inscribitur *hiems*, qui ei, quæ ipse nec viderit nec audiverit nec expertus sit, narrare possit.

Forsan vero aliquis putet, conatibus societatis biblicæ jam satis provisum esse, ut habeat plebs, quod legat; huic vero sententiæ assentire nequeo. Nimirum est sacer codex liber librorum, et debet in quavis domo reperiri; nec hoc loco sermo est de noxa, quæ forte ex prava lectione sacri codicis prodire potest. Sed multi alii libri etiam plebi utiles et jucundi esse possunt. Plebs danica, natura tristis et seria, hilare et jocosum aliquid legere debet. Attamen quoque melioribus et recentioribus libris asceticis opus esset. Bonos pios libros perutiles esse haud opus est probare. Abbt in opere classico, *de merito*, scripta ad pios sensus fovendos accommodata, priore inter scripta utilia loco ponit, et hunc principem locum illis competere solidis argumentis defendit. Verba ejus hac de re Bibliothecæ Theologicæ Vol. XX.

pag. 216—218 inserta, sententiam quoque meam exprimunt.

Libri ascetici, qui adhuc nostro ævo in vulgi manibus vel potius in forulis et scriniis ejus versantur, omnes antiquiori tempore scripti et antiquiori dogmaticæ superstructi sunt. Contentum eorum institutioni religiosæ, quam juventus a recentioris scholæ pastoribus accipit, haud convenit, nec concionibus et orationibus, quas vulgus a junioribus sacrorum ministris in ædibus dominicis audit, congruum est. Homo igitur plebejus, qui sæpius veteres asceticos libros perlegit, interdum clam de parochi sui orthodoxia dubitat. Haud forsan dolendum veteres asceticos libros jam esse neglectos, si modo novi, temporibus nostris aptiores, inter vulgi manus reperiebantur. Ex antiquioribus nullum scio eo meliorem, qui inscribitur: Hellige Opmuntringer i mödige og tankefulde Stunder. Nova emendatior et auctior hujus libri editio sine dubio admodum optabilis esset, imprimis si ita promulgaretur, ut non nimio constaret. Hunc vel similem librum asceticum, licet non esset opus perfectum et consummatum, si modo veritatem et solatium contineret et vulgo placeret, valde profuturum, si modo pejores sum-

moveret, apparet ex loco infra allato, ex libro, qui inscribitur Saligheds Midler, et qui sumtibus legati Stistrupiani promulgatus est, desumto *).

*) De sacra coena auctor tractatum his verbis incipit: Uanseet den glubende Ulv, den brölende Löve, den ildröde store Drage, den dybe Afgrunds Leviathan, som er alle Hofmodigheds Börns Konge, den Helvedes Jægere, den Menneskemorder af Begyndelsen, den Lögnere og Lögnens Fader, den Onde, som river Guds Ord af vore Hjerter, paa det vi skulle ikke troe og blive salige, denne Verdens Aand, denne Verdens Fyrste, som haver Magt i Luften og i Vantroens Börn, denne Verdens Gud, som haver forblindet de Vantroendes Sind, den Hugorm, som er trædskere end alle andre Dyr, den gamle Slange som kaldes Djævelen (en Bagtalere) og den Satanas (en Modstandere) som anklager os Dag og Nat for Gud, som haver en stor Vrede fordi han veed at han haver en liden Tid, uanseet (siger jeg) at denne det menneskelige Kjöns afsagte Fjende er af det menneskelige Kjöns Emanuel, Ven og Elskere (nemlig af Guds Lam, Jesu Christo, Löven af Juda, Kongernes Konge, og Herrernes Herre, den sande Gud, det menneskelige Kjöns sande og trofaste Forfægter og Frelsere, som haver traadt den almægtige Guds Hastigheds og Vredes Persekar) saa overvunden, at hans Hoved er sönderknuset, hans Rige ödelagt, hans Gjerninger forstyrrede, saa er han

Ut talem librum nobis procuraret et inopiam nostram sublevaret, celeberrimus episcopus Boysen librum asceticum scripsit, qui mea commendatione haud eget; timeo vero ne plebi parum placiturus sit, et si quoque placebit, alii pii libri ideo non superflui sunt.

Censura bibliothecarum istarum, ubi libri mercede conducuntur, in urbe sine dubio optanda esset; nam hi libri conductitii magnam noxam moribus afferunt. Arsenicum unicuique vendere vetitum est; cur igitur permissum, arsenicum morale cuivis mercede elocare? Quantopere mali libri conducti filiabus pauperum civium et ancillis alacri ingenio præditis no-

dog endnu ikke slet dödet og dræbet; men lever endnu og sværmer endnu omkring som en stærk Bevæbnet, og fører endnu Krig imod Lammet, og imod alle dem, som formedelst Daaben og Troen ere bespræengte med Lammets Blod, og aftoede af Synd og Uretfærdighed, og söger Dag og Nat som en tusindfold Konstner ved adskillige Forförelser og Forblindelser, aandeligen at döde og dræbe Lammets Tilhængere, ligesom de gloende Slanger i Örker legemligen dödede og dræbte Israels Börn, o. s. v. Libri ejusdem generis sunt: Den Sjungendes Tidsfordriv, den Bedendes Kjæde, den aandelige Dues Turtelröst, etc.

ceant, experientia satis docet; quantam vero utilitatem bona bibliotheca, unde ejusmodi homines libros bonos mutuos sumerent, procrearet, de hac re experientia adhuc nil omnino docet.

Cum paucissimi rusticorum opibus et studio libros emendi gaudeant, et plerique sacrorum pagi curatores, hoc tempore opibus destituti, bibliothecas, unde rustici bonos libros mutuos sumerent, condere nequeant, optimum putarem libello periodico, qui minimi venderetur, scripta classica, tam poetica quam prosaica, plebi aptissima colligere. Est in plebe longe majus legendi studium, quam vulgo creditur, et illam nil melioris habere, quod legat, ægre ferendum. Melioribus libris ubique promulgatis, lux animorum major evaderet, et superstitio, quæ antiquis fabulis, per longa hiemis vespertina de spectris prodigiis præsagiis et lemuribus iterum iterumque narratis, fulcita et stabilita sit, minueretur et cum illa infelicium afflictorum numerus. Multa alia quoque mala hac re abrogatum iri quisque videt. Auctoritas sagarum et prudentium virorum (ut vocantur) tunc prorsus dirueretur. Sagarum auctoritas est quidem hoc tempore minor quam antea, sed tamen adhuc magna. Memini equidem duas

ancillas, vaticinio sagæ alicujus commotas famulitio commodo renuntiasse, et puellam bonam eadem de causa sponsum probum deseruisse, et hac re miseram factam esse; et vidi juvenem, qui, gravi vulnere saucius, cum hoc alligato chirurgum peteret, in via ad feminam prudentem deversus, ut ligamento desumto dolores et sangvinem legendo sedaret, hac re tam exsangvis factus est, ut parum abfuerit, quin vitam cum sangvine amisisset. Ad tales feminas vel viros prudentes afflicti sæpius se convertunt, qua re non solum nullum morbi remedium accipiunt, sed tempus quoque ad medendum opportunum amittitur, et mens eorum multis falsis et superstitiosis notionibus impletur.

Secunda causa.
Persvasio de mali dæmonis vi.

Secundam afflictionis causam habeo persuasionem de dæmonum vel potius dæmonis mali vi et efficacia in homines miseros. Quæ quidem causa aliorum forsan judicio priori subjuncta est; me vero judice ad eam non pertinet. Persvasio scilicet plebis de vi mali dæmonis spectari potest aut tanquam mera superstitio, nullis vel levibus rationibus superstructa, aut tanquam

fides religiosa, firmis et validis rationibus nixa, qua creditur, esse malum quoddam principium omnis mali causam et auctorem. Quæ quidem persuasio oritur ex rationis humanæ studio cognoscendi causam *mali*, quod invenitur in mundo a *bono* deo procreato, et ex effatis sacræ scripturæ verbotenus, et nulla interpretationis arte adhibita, intellectis. Quæ effata ex philosophia orientali et Zoroastris de duobus principiis Judæis nota sententia, ex quadam servatoris nostri in oratione et dicendi genere ad coævorum captum et notiones accommodatione interpretandi nescius, simplex plebejus verbotenus sumit. Vix igitur ab eo intelligi possit, doctrinam de dæmonibus ad articulos fidei non fundamentales pertinere. Fides ejus in deum cum fide in diabolum conjuncta est, reverentia dei et reverentia diaboli tam arcte connexæ sunt, ut altera labefacta, altera quoque concussa laberetur. In sacra scriptura tam de diabolo, quam de deo legit; nescit igitur quo jure numen malum abjicere et bonum retinere possit. Hoc optabile esse forsan intelligit, sed solum votum non esse causam fidei sufficientem facile videt. Rusticus revera Zoroastris de Ormo et Arimane doctrinæ assentitur. Religio ejus est monothei-

stica; sed simul monodæmonistica, si ita dicere licet. Agnoscit unum deum et unum diabolum. Est deus quidem, ut rustici fert sententia, diabolo (Fanden est nomen ejus proprium) aliquanto opulentior, prudentior, et si ita dicere licet, artificiosior. Est deus, secundum notissimam loquendi formulam, diabolo superior, diaboli magister (Fandens Mester); sed diabolus nihilo minus admodum potens et astutus est. Tot attributorum divinorum, quot ens malum habere potest, plebs diabolo attribuit v. c. omniscientiam, omnipræsentiam, et potentiam sola divina inferiorem. Unum eundemque dæmonem plebs semper animo volvit. Ceteri huic inferiores phantasiam ejus raro occupant. Huic autem vero antiquo diabolo (βεελζεβȣλ, αρχοντῖ των δαιμωνιων) multa sunt nomina. Fanden est nomen ejus proprium, septentrionalibus hisce regionibus vernaculum, pro quo synonyma biblica *diabolus* et *satan* etiam usurpantur. Nautæ illum *malum* (den Onde), afflicti *pravum* (den Slemme), et, si afflictio majorem attigerit gradum, *foedum* (den Lede) appellant. Hunc proprium antiquum diabolum (den rette gamle Fanden), complures plebeii, foedam quandam picturam, ubi judicium supremum et tartarus

(γεεννα πυρος) vivis coloribus depicta erant, contemplantes, magno studio quæsiverunt. Quam foedam picturam, in æde dominica Lumbyensi suspensam, tandem refigere et demere contigit. Male autem hominibus consuluisse, qui hanc picturam in æde collocaverant, afflicti non nulli, quorum phantasia falsis ejus imaginibus repleta erat, satis superque probarunt. Omnes vero in hac pictura proprium antiquum diabolum desiderarunt. In hoc malorum dæmonum principe invocando, maxima vulgi danici pars sæpe occupata est. Plerumque jam a pueris istum temere invocare consveverunt. Multi rusticorum pueri diras voces emittere priusquam alia verba eloqui discunt. Tota eorum lingva diris et obsecrationibus repleta est, et aliæ voces cum diris alternant. Pessima hæc consvetudo, quæ malo seniorum exemplo invaluit, deinde per totum vitæ tempus iis fere insciis adhæret; saltem nulla clara cogitatio cum diris frequenter emissis conjuncta est. Diras quidem aliquo modo illi rei vel personæ accommodant, cui imprecantur; hoc vero mente tam aliena faciunt, ut sola hac cogitatione, fieri posse, ut malæ imprecationes ratæ fierent et exitum haberent, imprecantes pæne stupefacti sint. Vidi quondam ancillam, quæ,

dolium purgans, precata est, ut diabolus in hoc dolio ejularet, sed simulac a præsente quodam dictum esset, foedum fore strepitum, si diabolus in dolio ejulare inciperet, mox perterrita hominem a dictis tam nefandis et impiis abstinere jussit.

Hæc consvetudo temere et inconsulto diras voces emittendi minus huc pertineret, nisi frequens esset afflictionis causa. Homines enim huic malæ consvetudini antea dediti, ad seriorem cogitandi loquendique rationem morbo vel alio incommodo commoti, et aut legendo sacram scripturam, aut colloquendo cum piis hominibus, ad vivide cogitandum de dæmone malo, quem tam sæpe invocarunt, excitati, a temeraria ejus invocatione ad maximam potentiæ ejus anxietatem subito sæpe transeunt. Quod ita accidit afflicto cuidam, qui anxiis cogitationibus vexabatur. Ceteris enim scrupulis fere remotis, perpetuo angebatur, quod, ut dixit, tam multa verba otiosa vel vana loquutus erat. Legerat enim verba Jesu Matth. 12, 36. "Sed dico vobis quod de quocunque verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die judicii." Quem vero scrupulum removere pæne impossibile erat.

Hanc persvasionem de dæmonibus malis, vel potius de dæmone malo et ejus efficacia, multis afflictis admodum esse noxiam, multa probant exempla. Kindervaterus narrat, feminam quandam ab ipso petiisse Lucæ 11, 14—28. interpretationem (ubi sermo est de spiritu impuro, per sicca loca migrante), cum putaret, se esse dæmoniacam. Nonnullos quoque novi afflictos et anxios, qui unice cogitabant de Pravo, nec ullius alius repræsentationis erant capaces. Interdum quoque causam morbi corporei in inhabitatione diaboli afflicti quærunt *). Nonne est magna et intimum pectus movens miseria, afflictus quidam sæpe dixit, quod in tartaro per omnem æternitatum æternitatem jacebo, et quod Pravus animam meam habebit. Alius homo, ad veniæ divinæ ministrum crepusculo ventitans, semper de Pravo et de conditione eorum, qui in altera vita ejus essent mancipia, quærebat. Brevi post vitam in aqua finivit; tum vero sa-

*) Vide Fallesens theolog. Qvartalskrift 1809 p. 120, ubi ægroti amici dicunt: Man maa gruses ved at see den fule Aand rulle afsted med den Syge i Sengen', og vi höre ofte Satan gale ud af hans Hals.

crorum minister comperuit, illum aliquoties pejerasse, et diris sese obstrinxisse, quod nisi jusjurandum solveret, diabolus animam ejus possideret. Cum tribus enim puellis eodem fere tempore consvetudinem habens, unicuique earum matrimonium pollicitus erat et cuique adjuraverat, se, nisi illam uxorem duceret, diaboli fore mancipium. Quibus gravidis factis, et matrimonium poscentibus, is diaboli prædam sese existimans, voluntaria morte periit. Mirum sane in homine, qui toties et tam temere per malum dæmonem pejerasset, ut facile appareat, illum tunc temporis de existentia et potentia hujus dæmonis non fuisse persvasum, brevi post hanc persvasionem tam firmam et timorem mali dæmonis tam vivum factum esse, ut ejus victimam sese existimaret et de salute omnino desperaret. Sed æque mirum, istum hominem timore diaboli et tartari non eo compulsum fuisse, ut vitam servare et miseriam futuram, dum liceret, evitare studeret, quum potius in mortem, adeoque, secundum propriam suam opinionem, in diaboli manus et tartari voraginem rueret.

Secundæ causæ remedia.

Ex jam allatis, satis ut puto, apparet, persvasionem vulgi de dæmone malo, atque de ejus vi et efficacia potissimam et gravissimam esse afflictionum spiritualium causam. Nec igitur latet, hujus persvasionis eversionem quam maxime profuturam ad numerum afflictorum diminuendum. Heic vero duæ quæstiones nobis obviæ fiunt, quarum

Prima. Num quoque omnibus rebus perpensis plebi utile foret, si hæc persvasio everteretur; vel aliis verbis: sitne hæc persvasio de dæmone malo plebi necessaria, et

Secunda. Num hæc persvasio dirui possit, nisi eodem ictu persvasio de deo diruatur?

Ad priorem quæstionem quod attinet, rationes pro ea assertione, "persvasionem de dæmone malo plebi necessariam et utilem esse," satis probabiles afferri possunt: Necessarium scilicet esse *malum* personæ forma induere in usum plebeji rudis et inculti, ut phantasia ejus emagine terribili impleatur, quæ illum a peccatis et sceleribus absterreat, et affectibus excitatis et animi perturbationibus inflammatis et violentis terrorem incutiat. Notiones de officii necessi-

tate et de virtutis pulchritudine, vocem conscientiæ præmonentem et reverentiam dei, justi quidem sed simul misericordis, non tam claras in ipso fieri posse, ut satis in eo valeant, cum lubidines excitatæ et cupiditates validæ sint; nec victoriam ex certamine cum carne, vel ex aliis tentationibus periculosis posse reportari. Plebejo igitur magis utile, tartarum igneum flammis repletum, cujus incola peccando fiat, et dæmonem detestabilem, cujus peculium peccatis evadat, ipsi vivis coloribus depingi, quocum timor, in ipso tentationis momento, animi perturbationes et sangvinem vel bilem excitatam vi longe majore reprimat, quam omnes rationes e disciplina ethica vel puriore religione desumtæ. Hominem denique, malam cupiditatem et surgentem libidinem instigationem vel inspirationem Satanæ habere edoctum, longe majore cura et assiduitate iis reluctaturum, quam si eas modo e sensualitate ipsius ortas existimet.

Ex hac sententia sequitur, sacrorum ministrum in concionibus suis flammas inferorum ardentes sedulo depingere, fraudes, machinationes, tendiculas et laqueos diaboli vivis coloribus describere, et assidue de tenebris exterio-

ribus, ubi erit fletus et stridor dentium, de vermi nunquam moriente et de igne, qui nunquam exstingvatur, concionari debere.

Huic vero assertioni et his argumentis jam allatis, jure, ut mihi saltem videtur, opponi potest: sperandum esse, plebem, si forte adhuc nonnullis in locis rudis et inculta sit, brevi adeo fore excultam, ut officio et conscientiæ morem gerere, rationes agendi e puriore religione et disciplina ethica petitas sequi, et virtutem amare valeat. Est nobis christianis nullus sensualis paradisus; virtutis amico gaudia sensualia in coelis, voluptates, pulchras Hureis etc. non pollicemur; sed sensualem hanc Islamismi doctrinam vituperamus *). Cur igitur nobis potius sensualis sit tartarus quam sensuale coelum? Nonne æquum esset, cum peccatum a diabolo igne et sulphure puniretur, virtutem quoque ab archangelo Michaele vel Raphaele præmio suo ornari et virum honestum in paradiso nectare, ambrosia etc. gaudere? Cur sensualia æternitatis præmia, retentis sensualibus ejus poenis, rejiciantur?

*) Rom. 8, 15. Ου γαρ ελαβετε πνευμα δουλειας παλιν εις φοβον.

Si idea de pravis dæmonibus plebi vivis coloribus depingenda esset, tum potius vividioribus adhuc coloribus repræsentationem bonorum dæmonum, angelorum tuentium depingere æquum esset; præcipue cum ipsa plebs nullo modo tam proclivis sit ad eam excolendam. Exemplum adolescentis, ter pejerantis, nuper allatum satis probat, quod multa similia affirmant, metum satanæ (ɔ: metum, quem cogitatio de satana incutit) plerumque esse infirmum et debilem, dum impetus adhuc commoti sunt et animi perturbationes furent; raro igitur aliquem a peccato committendo retinere; sed semper fere postea, peccato commisso et conscientia aliis de causis expergefacta, peccatorem poenitentem desperationis suæ et furiarum facinoris suarum certam prædam reddere. Ista cogitatione, pravam cupiditatem a satana instigari vel commoveri, rarius certe aliquis se ad majorem in ea reprimenda vigilantiam et constantiam vocatum sentiet, sæpius vero in ea peccati, non sua culpa sed satanæ industria et fallacia facti, excusationem inveniet.

Ad secundam quæstionem quod attinet, is, qui munere religionem et veritatem docendi fungitur, sine dubio doctrinæ se opponere de-

bet, quæ, etiamsi absoluta ejus vanitas mathematica demonstratione non prorsus probari possit, persvasioni tamen ipsius contraria sit. Qui, omnibus rationibus et argumentis utrimque bene perpensis, intimo corde persvasum habet, malos dæmones esse, potentia gaudere et in homines vim exserere, is solus hanc doctrinam plebi proponere debet. Qui vero ipse de hac re dubius hæret, quid ipse credat nescius, de ea silere et in neutram partem pronuntiare debet. Ita quoque plurimi sacrorum ministri hanc doctrinam in medio relinquere et nil certi de ea constituere solent. Quæ tamen agendi ratio id habet incommodi, quod plebs in hac re, quæ ei gravissima videtur, coecis ducibus tradita, eos interdum sequitur. Qui e contrario persvasum habet, hanc doctrinam esse vanam et falsam, is eam, ubicunque apparet, oppugnare debet, ita tamen, ut, ubi nullum ejus in plebe invenitur vestigium, non eam provocando, et certamen cum vana ejus imagine ineundo, vim ipsi doctrinæ, qua aliâs careret, tribuat.

Sed denuo quæritur, quomodo intimam de vanitate hujus doctrinæ persvasionem obtinere possimus. Cui quæstioni responsum omnibus

sufficiens vix dari potest. Quod enim in hujus generis disquisitionibus alii satisfacit, non semper in alium eodem effectu gaudet. Non esse malos dæmones, ex sacro codice nullo modo probari potest, cum eos esse multo magis plurimis locis ut concessum postuletur, nec usquam ab ipso Jesu disertis verbis negetur. Ipsa ratio vix neget, esse posse lapsos angelos, entia altioris quam homines generis, quæ contumacia erga deum vel peccato mala facta sint. Si liberum arbitrium, arbitrarius facultatum et virium usus, entibus superioribus tribuatur, necesse est quoque credere, ea, haud secus ac homines, hoc libero arbitrio in malam partem uti posse. Deum autem omnipotentem sapientem et bonum his lapsis angelis aliquam in homines vim et potentiam permisisse, ipsi rationi contradictorium videtur. Si mundo natura et hominibus contemplatis persvasum habemus, nullum esse verum malum, nullum esse ens et nullam rem, quod secundum naturam et genus suum, merum et proprium est malum, nobis quoque persvasum esse debet, nullum esse Ariman, nullum malum principium, quod bono renititur. Quia hominibus multa in hoc mundo mala visa sunt, quorum originem a bono deo intelligere

nequiverunt, ideo malum esse principium putabant. Quo magis autem mundi et hominum naturam perscrutando omnia ad unum eundemque æternum fontem referre valent, eo magis ipsis apparet, multa, quæ mala videantur, esse bona; et eo minus necessarium ipsis videtur malum principium sciscere. Doctrina christiana de vita æterna, remuneratione in ea, et peccatorum remissione, multa eorum, quæ alias mala et incommoda viderentur, tanquam explorationes vel exercitationes, adeoque ut bona et utilia, contemplari, et vitam ipsam ut tirocinium spectare homines docens, necessitatem malum principium sciscendi diminuit. Ratio et religio christiana hominem ea persvasione imbuere valet, nullum in rerum natura dari verum malum, sed modo aliquid, quod mali speciem habeat; præter vitium atque flagitium nullum esse verum malum; in homine tantum et aliis entibus, quæ libero arbitrio gaudent, aliquid verum malum liberi arbitrii abusu existere posse, quod igitur malum liberi arbitrii vocari potest; hoc vero necessario sequi ex absoluta voluntatis humanæ libertate; nec tolli posse, nisi eo ipso homini impossibile fieret virtutem exercere. Ratio porro cernere potest: consilium doloris non mi-

nus quam voluptatis esse bonum, moerorem gaudio sæpe esse utiliorem, et id, quod malum videtur, solummodo esse defectum vel absentiam boni; umbram, in vitæ pictura, ad lucem augendam esse necessariam, ut colores vividi eo magis fiant conspicui, quia opposita juxta se posita magis illucescunt. Tristitiam igitur ut gaudii umbram, vitium ut virtutis, poenitentiam ut lætæ conscientiæ, mortem ut vitæ umbram ratio contemplatur. Nullo malo principio et nullo tartaro eget; hæc vero spectat ut fictiones, quæ, tanquam umbræ oppositæ, summi numinis et coeli lucem adaugeant. Sacrorum ministro, qui hanc persvasionem habet et illam modo populari exponere intelligit, forsan continget, gloriam diaboli labefactare, dum dei affirmat. In hoc conamine magno auxilio ei esset, si cuivis sacro codici, lingua vernacula promulgato, popularis ad eum rite legendum præceptio annexa esset. Nec minus huic sacrorum ministro optandum, ut nonnulli compendii religiosi, vel libri didactici, a beato Balle elaborati paragraphi mutarentur: v. c. cap. 3. §. 4.

Utile quoque esset plebem purioribus de erebo vel locis inferis, ubi peccatores sceleratiores post mortem commorentur, notionibus

imbuere. Poenas infernales hominibus minari sacrorum ministri hodierni non ausi sunt, timentes ne homines, earum foeditatis et æternitatis pavore commoti, spem omnem abjicerent. Poenæ nimis acerbæ et crudeles nihil fere proficiunt. Qui v. c. bis convictus est illegitime cauponatum esse, nunquam fere, ut jubet lex civilis, ad munitiones datur; vel, qui januis strepat in aula regia, ideo nunquam supplicio afficitur. Ita poenæ quoque infernales, nimis crudeles, effectu carent. Si nobis et plebi esset repræsentatio erebi minus horrenda, si loci inferi imaginibus minus terribilibus depicti essent, si plebs erebum cogitaret sub imagine carceris simplicis, ergastuli vel tristis deserti, tum eum minari sacrorum ministri auderent. Ne vero homines sulphureæ lacunæ et ungvium satanæ pavore prorsus desperent, iis jam remissionem peccatorum et coelum promittere coacti sumus; licet poena levis in loco inter coelum et erebum medio, his terris aliquanto deteriore, eorum animi conformationi aptissima esset.

De inferis plerique afflicti aliquid audire cupiunt. Mulier quædam afflicta multas de erebo protulit quæstiones, ita ut necessé esset cum ea loqui de possibilitate resipiscentiæ,

emendationis, et sortis, quæ in altera vita una cum animo paullatim in melius mutaretur. Qua spe gavisa, quæsivit, an ipsa quoque, si aliquando ad infera loca detrusa esset, unquam exinde posset abire. Responsum, quod tamen ut meam modo opinionem proposui, sententiæ Originis haud dissimile erat: το πυρ scilicet κολαζον τους κατακεκριμενους aliquando esse exstingvendum.

Si plebem purioribus de remuneratione æterna notionibus imbuere contingeret, ei, qui munere afflictos solandi fungitur, haud amplius necesse esset, crassioribus eorum de diabolo et erebo notionibus, notionem fere æque crassam de satisfactione per sangvinantem servatorem opponere. Crassæ scilicet plebis de poenis æternis notiones in notione æque fere crassa de peccatorum expiatione, cruento servatoris nostri supplicio comparata, sacoma quoddam, si ita dicere licet, invenerunt. In sangvine et stigmatibus Jesu Christi omnes Haugiani et ceteri pseudopietismi asseclæ contra omnes diaboli tentationes et afflictiones latibulum et tegumentum quærunt, et doctrina de satisfactione ab omnibus antiquioris scholæ pastoribus ut potissimum consolandi medium commendatur. Est

hæc doctrina mihi quoque cara, et postea nonnulla de usu ejus afferam; sed dolendum est, ob crassas afflictorum notiones sæpe necessarium fieri, eam modo sensuali exponere. Nec igitur sperandum ipsos afflictos puriores notiones posse edoceri, sed reliquum coetum, imprimis juniorem ejus partem, his imbuere oportet.

In colloquiis cum afflictis sæpe necesse est quadam orationis accommodatione uti, cum alias nihil omnino intelligerent, imprimis cum fixa cogitatio dominatur vel mente capti sunt. Forsan objici possit, talem accommodationem non esse licitam; sed quisque, qui aliquando molestum talis hominis consolandi negotium susceperit, propria experientia edoctus sciat, amicos et consolatores excusandos esse, si hos homines, quorum ratio aut omnino aut saltem ex parte absit, ubi ansam præbeant, comprehendant et, quovis innoxio modo, iis prodesse quærant. Novi v. c. nautam, cujus scrupuli religiosi in amentiam particularem abierunt. Is octodecimo abhinc anno credere incepit, diabolum ipsi vetare navigio suo uti. Petivit igitur a confessionario suo syngrapham quæ ostenderet, diabolum non posse prohibere, quo minus ipse proprio suo navigio uteretur. Confessionarius,

mox intellexit argumenta ex ratione desumsa nihil in hunc hominem efficere, syngrapham nomine et sigillo ornatam ei dedit, cujus contentum hoc erat: nullam potestatem vel terrestrem vel infernalem prohibere posse, quo minus nauta N. N. proprio suo navigio navigaret, ac justo et legitimo ejus usu victum cultumque sibi et suis pararet. Ex quo tempore, licet scrupulis et amentia particulari nunquam liberatus, per octodecim tamen annos sibi et suis navigando in suo navigio victum cultumque paravit. Talem innoxiam et consolantem ad captum ægroti accommodationem licitam arbitror. Ambiguum contra admodum et periculosum æstimo exorcistæ vel thaumaturgi instar prodire, etiam si hoc unicum videretur remedium, quo ægrotus quietem impetraret. Haud levem equidem aliquando subivi tentationem mysticas exorcistæ partes suscipiendi, at eam tamen fugavi. Omnibus remediis, quæ excogitare potui, frustra adhibitis, nec ulla alia re intentata relicta, cum viderem omnes consolationes superstitiosis et fixis ægroti notionibus irritas fieri, mihi in mentem venit, media forsan superstitiosa et mystica sola fore efficacia. Narratio de pharmacopola, qui puellam, animo ægram, eo sa-

navit, quod aerostatam ejusdem formæ, qua crederet puella malum dæmonem, a quo obsederetur, indutum esse, a tergo ejus ex fruticeto in sublime evolare fecit, et aliæ curationes, quæ prospere cesserant, rem commendabant. Exorcismum in ægroti juventute ubique usitatum fuisse bene memor, eam formulam, qua per tot secula innocentes liberos alloqui consveverant clerici, triginta annis postea, ægroti sanandi causa, adhibere, haud impium putabam. Si ægrotus prorsus persvasum habuisset, se a diabolo inhabitari, vel se domicilium esse impuri cujusdam spiritus, forsan ausus essem experiri, quem effectum exorcismus in animum ejus haberet; sed partim lucidis gaudebat intervallis, partim ægritudo ejus non in ea constabat persvasione, quod diaboli jam esset domicilium, sed in ea, quod animus ejus post mortem diaboli fieret peculium. Præterea sentiebam, eum, qui exorcistæ partes susciperet, ipsum de existentia et præsentia impuri spiritus persvasum esse debere, et cum mihi de neutro persvasum esset, animus ad eas suscipiendas mihi defuit, et certe quoque in posterum semper deerit. Potius forsan auderem, omnibus ceteris remediis frustra tentatis, ægroto ad visiones et revela-

tiones credendas aliquanto procliviori aliquem comparere facere, qui forma boni angeli indutus, anxio peccatorum rémissionem nuntiaret. Narrat Reilius talem piam fraudem in libro suo de febri (Fieberlehre) vol. IV pag. 510. Melancholicum scilicet de gratia divina desperantem eo ereptum et servatum esse, quod aliquis angeli specie indutus, sinistra facem ardentem et dextra gladium gestans, noctu per cubiculi ejus lacunar descendens, in nomine dei triunius remissionem peccatorum ei addixerit. Si pia fraus interdum excusanda, excusandi causa certe adest, cum omnia media vera, omnia consilia veritati congrua ægroto nil prosunt. Ut igitur permissum esse potest, aliquem ira vino vel sævitia furentem mendacio necessitate extorto ab innocenti homine persequendo et necando avertere et retinere, ita quoque licitum videri potest omnibus ceteris mediis frustra tentatis, heautontimorumenon a propria persecutione falsiloquio, quod inter mendacia necessitate extorta referre licet, avertere et phantasiam ejus a desperationis furiis liberare. Reverentiæ igitur veri forsan nimiæ et metui, ne tale tentamen eventu careret, adscribendum est, quod illud incipere haud ausus sum.

Narrata sunt quoque exempla de religiose melancholicis, qui repente noctu anxietate liberati, deinde hanc sanationis causam afferebant, quod deus ipsis adfuisset, vel servator ipsos consolatus esset; qui vero numquam sua sponte de hac re loquerentur nec ampliorem sanationis explicationem darent. Sit vero hæc sanatio facta aut somnio, aut visione, aut vera tandem revelatione, fuerit quodcunque, audaciæ tamen reus, qui dei vel angeli partes suscipiat, quamdiu nondum satis constat, deum vel angelos nunquam anxios consolandi gratia vere apparere.

Hoc loco haud prætermittendum puto, sacrum codicem et alios libros asceticos afflictis pavore impuri spiritus repletis non nisi admodum caute et provide esse præbendos. Quidquid in tali libro ipsis solatio esset, legere negligunt, at contra mira sagacitate omnia investigant, quæ tristibus eorum cogitationibus et fixæ ideæ alimentum præbeant. Nonnullis Novi Testamenti locis, conditioni ipsius aptis, cum afflicta quadam lectis et explicatis, Novum Testamentum ei mutuum præbui, ut ipsa hæc loca legendo repeteret, nec non psalmorum librum antiquum, quem vocant, ut pulcherrimum psalmum (Vær i Korset tro og stille) me-

moriæ mandaret. Utrisque vero neglectis omnia N. T. loca, ubi de spiritu impuro, satana, diabolo et damnatione sermo est, legit, ita ut mox necesse esset libros removere.

Tertia afflictionis causa.

Conscientia mali.

Tertia et sæpe unica afflictionis causa est mens mali sibi conscia. Quæ quidem in multis afflictis cum aliis causis conjuncta, in aliis vero unica est, quæ homines anxios et conditionem eorum miserrimam reddit. Qui tales afflictos novit, cum Ballio nostro in compendio intime persvasus confiteatur: "flagellum conscientiâ mali pejus haud posse cogitari." Plerosque anxios unum alterumve factum mordet, quæ tamen facta quoad reatum admodum varia sunt. Interdum peccata sunt vere mortalia, interdum vero tam levia, ut peccati nomen vix mereantur et reatus fere nullus sit. Novi v. c. hominem, quem vehementer mordebat, quod neglexerat, possessorem veteris cadi, in mari inventi, litteris publicis evocare. Alium moribundum momordit error, quo quinque farinæ modios, sabulo admixto, contuderat et parieti illeverat.

calcem solutam vel farinaceam, quam vocant, ratus. Attamen sæpissime, cum afflictus nimis levem anxietatis causam indicat, suspicandum est eum aut pudore aut timore commotum veram causam celare, quam postea demum, pluribus colloquiis habitis, confessurus sit. Alioquin in maximo anxii æstu, *conscientia* ejus est *clamitans* et *ejulans*, si ita dicere licet. Primo colloquio totam confessionem depromit et mox pectus suum exonerare quærit. Tum vero tranquillitas difficilius efficitur; nam hæc spontanea et fere vulgivaga confessio ostendit, poenitentiam tantum attigisse fastigium, ut omnes ceteros affectus opprimat, omnem circumspectionem negligat et hominum opinionem spernat. Qui mendas leviores et vitia leviora cuique confitetur, is rarius viribus et vero ab iis desistendi studio gaudet, nec serio conversionis opus tractat; et quem, peccatorum pudore agitatum, facinorum confessionis non pudet, ita ut peccata sua cuique anui confiteatur, in ejus animo nulla adhuc superest vis, quæ hunc sensum corrodentem superare possit.

Ut igitur animorum curatori minime optandum est, afflictum jam primo colloquio totam confessionem effundere, et ei de janua intro-

eunti quasi obviam clamare; ita ab altera parte maximi est momenti, afflicto confessionem retinente, efficere, ut pectus suum aperiat et exoneret. Quam ob rem confessionarius, nimis levi anxietatis causa indicata, in ea non acquiescere, sed suspicionem fovere, licet non prodere, et veram causam reperire intento animo conari debet. Vera enim sollicitudinis causa nondum aperta, labore suo decipietur et oleum et operam perdet.

De hac re ipsissima senioris sacrorum ministri verba afferre licet: "Anxium mox mihi ita confisurum, ut eas res, quas, me et ipso exceptis, omnibus ceteris in perpetuum fore occultas intimo animo optaret, primo colloquio mihi aperiret haud est sperandum; nec magis sperandum puellam timidam et verecundam mox indicaturam esse illud peccatum, quod mallet me conjiciendo divinare posse. Quamdiu homo nondum dixit, quod dicere cupit, sed vix audet, tamdiu alloquium meum a scopo suo aberrabit. Conari igitur me oportet, non acerbe inquirendo sed fiduciam exitando, veram anxietatis causam investigare; quo fieri potest, ut clandestinam infanticidam in illa reperturus sim, quæ ab initio de vanitate tantum et lascivia

juvenili conquesta sit, et ut is, qui primum se ipsum levissimi, secundum leges civiles, delicti accusaverit, crimen demum concessurus sit, quod alio loco patefactum gladio legis eum subjecisset." Supervacuum est exempla afferre, quæ veritatem hujus assertionis probent. Adolescens supra memoratus, qui, perjurio ter commisso, assidue de diabolo quæstiones proposuit, forsan ab autocheiria retineri potuisset, si sacrorum minister ex ore ipsius culpam ejus comperisset, nec demum, ipso sepulto, dum infantes ejus baptizaret, de ea certior factus esset. Non vero semper ipsius afflicti est crimen, quod eum angit, et quo cor ejus gravatur; interdum quoque clandestina uxoris, mariti, fratris, sororis, cognati vel amici culpa ipsi nota, quam vero peccatoris amore ductus aperire noluit, quin etiam sola magni criminis suspicio a cognato vel amico commissi, cordi et tranquillitati hominis admodum molesta esse potest. Ita e narratione senioris sacrorum ministri compertum habeo, hominem, quem adhuc infantem cognati natu majores induxissent, ut cibum venenatum homini dementi offerret, quinquaginta post annos hoc facto ita sollicitatum esse, ut ob id ipsum amens fieret.

Causa angoris interdum igitur quærenda est in criminibus facinoribusque ab ipso afflicto vel ab amicis ejus commissis. Fuerunt sacrorum ministri, qui putarent, se talia crimina a poenitentibus sibi confessa ad magistratus deferre oportere, forsan regulam Kantianam secuti: *ut fiat justitia.* Sed codex Christiani quinti 11-5-20, talem delationem omnino vetat *).

Alia vero est quæstio, utrum sacrorum minister, cum factum quoddam criminale angoris causa est, afflictum adhortari debeat ad culpam suam magistratibus detegendam, an vero, si ipse afflictus crimen suum ad magistratum deferre et poenam luere desideret, pastor ab hoc incepto eum retinere et delationem dissvadere debeat. Difficile est regulam universalem singulis hujus generis casibus aptam præscribere, quoniam multum in illis de variis περιςασεσι pendet. Ex mea quidem opinione, sacrorum minister nunquam reum ad suam culpam deferendam cohortari debet, nisi hæc delatio faci-

*) Præsten maa ikke uden sit Kalds Fortabelse aabenbare hvad Nogen for hannem i hemmeligt Skriftemaal bekjendt haver; med mindre det kunde angaae noget Forræderie eller Ulykke, som ved Præstens Aabenbarelse kunde forekommes.

nori cuidam occurrere, vel suspicionem ab innocenti avertere possit, at e contrario hanc delationem dissvadere debet, cum poenitentia afflicti tam sincera, et animi conformatio ejus ita in melius mutata est, ut criminis iteratio haud sit timenda. Non semper facile est negotium hominem poenitentem a tali sui ipsius delatione detinere. Pace cum se ipso frui vult; hanc vero pacem internam se non adepturum esse putat, priusquam justitiæ satisfecerit. Culpa sua ad externum judicem delata, pacem cum judice interno sperat; quæ spes eo augetur, quod opinatur, ei, qui in hoc mundo delicti poenam luerit, nullam punitionem in altera vita imminere. Quibus opinionibus sacrorum minister argumenta e ratione et religione petita opponere debet; v. c. hominem non oportere tempus, quo in melius quotidie mutaretur, abrumpere, nec resarciendi occasionem sibi præcludere. Talia proferenti magno auxilio erunt studium vitæ et libertatis nec non amor in uxorem, liberos, amicos et cognatos, quos homo invitus relinquet, et quibus dolorem et luctum afferre ægre feret. Sed veluti plerumque, afflicto anxietatis causam nimis levem indicante, suspicax esse debes, ita quoque cavendum est, ne omnibus

criminibus, quorum reos afflicti interdum se ipsos faciant, fidem habeas. Morbo lienis, sui ipsorum despectu, vitæ tædio et fastidio commoti, se ipsos facinorum accusant, quæ nunquam patraverunt, eo consilio, ut vitâ priventur. Ita afflictam magni criminis ream se confitentem, mox re accuratius disquisita falsiloquii convici. *Alibi* enim, quod jurisconsulti vocant, probavi, vel eam alio loco commoratam esse quo tempore crimen illud commissum esset; postea vero quoque ipsa confessa est, delationem suam falsam fuisse et mero vitæ fastidio provocatam.

Tertiæ causæ remedia.

Media, quibus afflicti, quorum angoris causa in mente criminis sibi conscia latet, animi tranquillitatem recipiant, facilius est nominare, quam ita adhibere, ut prospero eventu gaudeant. Sæpissime talis homo ad sacrorum ministrum non prius se convertit, quam angor ad id fastigium pervenit, quo desperationi fere æquat. Amici quoque pastorem acciere sæpe differunt, donec anxius omnem spem abjecit. Licet igitur pastor omnia, quæ speciem male seduli ipsi af-

ferant, evitare debeat, et quamquam cavere debeat, ne temerario aliorum rebus domesticis interveniendi studio agitari et solatium suum obtrudere videatur, (quo fit ut cum contumelia et fastidio repudietur) attamen simulac comperit, vel causa adest suspicandi, hominem quendam in scrupulis versari, sine mora occasionem secum colloquendi ei præbere et cognatos de ejus conditione quærere debet, ut his auxilii ab ipso petendi ansam tribuat. Quin immo, si persvasum habeat, anxium sibi confidere et de se bene sentire, haud cunctanter eum aggredi debet. Molestissimum est negotium anxios et afflictos tractare et curam eorum gerere, quare multi sacrorum ministri hoc opus, quamdiu fieri potest, evitant et differunt. Quæ cunctatio postea laborem eorum sæpe duplicem et irritum reddit; ægritudo enim, quæ remediis cito adhibitis facile sanata esset, ægro moestis suis repræsentationibus diu relicto, toti naturæ et toti enti ejus ita coalescit, ut pæne insanabilis fiat. Similis est conditio ejus, qui diu in scrupulis versatus est, et ejus, qui a pueris multas de spectris et lemuribus narratiunculas audivit. Uterque convinci potest, nullam esse causam angoris, et nihilo secius tamen ab ipsa anxietate liberari

nequit. Qui a pueris tam multas horrendas de spectris audivit fabulas, ut phantasia ejus tremendis imaginibus repleta sit, is postea certe intelligere potest, stulti esse spectra timere, et nihilo secius invitus tremere et horrere incipiet, si intempesta nocte solus sepulchrorum locum prætereat. Qui diu in scrupulis occupatus spem omnem de gratia divina abjecit, is certe solatio pastoris ex sacro codice et ratione petito convinci potest, gratiam sibi esse sperandam; sed anxietas et ægritudo animi, quæ consvetudine naturæ ejus coaluerunt, non ideo eum deserunt, vel si per aliquod tempus fugantur, mox integris viribus redibunt. Maximi igitur est in afflicti curatione momenti, ægritudinem non inveteratam nec tempore firmatam fieri, et medicinam psychologicam, prius quam ægritudo habitum (si vocabulo juridico uti licet) acceperit, adhiberi.

Qualis vero sit illa medicina psychologica, quæ sanationem procuret et huic morbo medeatur, difficile est dictu; nam conscientia mali est omnium vulnerum maxime insanabile. Quæ res cum in multis aliis scriptis, ubi sermo est de conversione et poenitentia, tractata sit, hoc loco gravissima tantum remedia breviter afferam.

1) Si delictum vel male factum ita est comparatum, ut alius homo vel alii homines eo damno affecti sint, pectus poenitentis aggravatum magna ex parte exonerare possumus, cohortando ad resarcitionem erga eos, qui injuriam passi sunt aut erga liberos eorum, et via, qua fieret, monstrata, opem ei ferendo ita, ut clam et sine strepitu fiat resarcitio.

2) Illa cogitatio: "hominem conversum et intimo animo peccatum detestari edoctum, jam eo tutius et firmius virtutem sequi, et plura bene, quam antea male, facere posse," etiam magna vi pollere solet.

3) Si aliqua vis homini adhuc inest, hanc ad benefaciendum excitare expedit, et, si omnes περιϛασεις permittunt, hominem ad peccatum expiandum stimulare, vel potius eum monere, ut peccato suo aliquod saccoma benefactis tribuere studeat; v. c. ut victum esurientibus præbeat, ægrotos et egenos foveat et orborum curam gerat etc.

4) Doctrina de paterno dei amore et intima ejus misericordia, et explicatio illorum sacræ scripturæ locorum, ubi hæc doctrina proposita est v. c. Luc. 15. vide Lib. rituum sacrorum cap. VI. art. 11.

5) Lectio eorum sacræ scripturæ locorum, ubi sermo est de clementia Jesu erga peccatores, v. c. Joh. 8, 10. 11.

6) Clementia ipsius sacrorum ministri et amor ejus erga afflictum; qui scilicet amor, non solum verbis et vultu, sed re vera et factis exhibitus anxio animum addet sperandi, amorem dei haud fore minorem.

7) Doctrina de reconciliatione, eo modo exposita et explicata, quo secundum varium afflicti culturæ gradum, ei quam maxime sit apta et intelligibilis. Forsan aliquis dicat, hoc fore difficile, quoniam doctrina de reconciliatione, secundum naturam suam, nulli humanæ rationi intelligibilis sit. Cui objectioni repono: difficile quidem esse hanc doctrinam perspicuo modo exponere, sed hoc tamen fieri posse. Contemtorem hujus doctrinæ nullo modo me profiteor, nec ab altera parte omnem peccatorem sangvine agni divini abluere volo; nec puto me verum hujus doctrinæ sensum melius quam alios percepisse; sed credo solummodo, sacrorum ministrum maxima cum utilitate hanc doctrinam ad animi motum et anxietatem afflictorum sedandam et leniendam adhibere posse. Nonnulli sacrorum ministri ipsi forsan, quid de hac doc-

trina crederent et cogitarent et quomodo eam plebi explicarent nescii, de ea in concionibus et sermonibus ad confitentes nil omnino dixerunt; qua re forsan quibusdam in locis ansam præbuerunt plebi (cum cujus systemate qualicunque dogmatico hæc doctrina intime cohæret, et cujus compendio religioso et libris asceticis intexta est) ad dubitandum de doctoris orthodoxia et ad sequendum coecos duces. Hanc doctrinam esse biblicam negari haud potest, et si doctrinam Bibliorum severam et rigorosam, de dei justitia, quæ peccato offenditur, de æternis peccati, non solum factis sed etiam verbis, quin immo cogitatis commissi, poenis retinere volumus, ut debemus: æquum est quoque doctrinam non minus biblicam de peccatorum remissione et de reconciliatione per dei filium retineri. Si inculcare volumus, hominem die judicii de omni verbo otioso, quod locutus fuerit, rationem reddere debere, et quemque, qni intuitus sit mulierem ad eam concupiscendam, jam cum ea in corde suo adulterium commisisse; si puritatem, homini attactu difficilem, poscere volumus, antequam illum a peccato liberum judicare audemus, nec reticenda vel dissimulanda sunt, quæ docuit Jesus,

de adventu suo peccatoribus salutem procurandi causa. Mihi igitur persvasum est, doctrinam de reconciliatione non esse reticendam, si modo urgentur et inculcantur, quæ ait Ballius in compendii cap. 5to §. 1mo: Jesum Christum expiatione sua nullo modo nobis copiam peccandi dedisse, sed multo magis nos ea obstrinxisse ad malum evitandum et ad progressus omni studio et diligentia in bono faciendos." Sine hæsitatione autem hac doctrina uti debemus ad solandum Christianos poenitentes et animo dejectos; quod Christiani quinti liber rituum sacrorum cap. VI articul. II quoque commendat.

Si hanc doctrinam christianis majore culturæ gradu gaudentibus explicare oporteret, sermo versui 16to cap. IIItii Evangelii Johannæi superstrui posset. Ipsissima Jesu Christi verba tum afferenda: "Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, quo omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam." Porro dicendum: justitia et sanctitate dei perpensis impossibile quidem videri, deum peccatum remittere et poenas ejus condonare posse; sed ab altera parte considerantibus, benignitatem dei tantam fuisse, ut filium unigenitum ad terras mitteret homi-

num liberandorum causa, (ut hunc dilectis simum filium derisui et contemtui, cruciatibus et morti traderet, quo homines servarentur, exemplum patientiæ daretur et spes immortalitates firmaretur) magnam fiduciam ex hac ejus benignitate et amore oriri. Considerantibus porro, amorem divinum in Jesu fuisse perfectum, (illum fuisse integrum amoris ideale, integram ejus imaginem, et, si ita dicere licet, angelum ejus in terris; illum, intimo erga homines amore repletum, sortem inimicorum deplorasse et cruci affixum pro iis ad patrem coelestem precatum esse) clare ante oculos sisti, justitiam divinam, amore temperatam, misericordiam factam esse, vel potius misericordiæ locum dedisse. Deum homines servandi causa filium suum unigenitum tot cruciatibus dedisse, firmum esse misericordiæ documentum et certum paterni ejus erga nos amoris pignus. Interdum etiam inter homines alterum fratrem, amore ductum, pro fratre errante deprecari et intimo animo optare, poenas ab altero promeritas luere, quin etiam culpam ejus in se recipere, et patrem, hoc comperto, dicere: tua causa, fraterno tuo et paterno meo amore commotus, non solum debitam poenam illi condonare, sed etiam

poenitentem ad cor paternum recipere, et lapsum erigere volo. Amorem similem, licet longe evectiorem, in servatore et patre ejus coelesti inveniri; et quia Jesus hunc amorem moriens signo et pignore confirmaverit, ideo nos morte sua de remissione peccatorum certiores fecisse.

Cum hæc doctrina incultis exponetur, legendi sunt v. c. 1 Joh. 2, versus 1—6. Deinde afferendum est: nos, secundum discipuli Jesu dilectissimi effatum, "habere advocatum apud patrem, Jesum Christum, qui et ipse sit piaculum pro peccatis nostris." Homines incultos et simplices claris de natura expiationis notionibus imbuere raro continget, nec vero necessarium; angor et afflictio eorum ex obscuris quoque notionibus orta sunt. Lacte iis opus est, non solido cibo. Ebr. 5, 12. Sensuales tantum repræsentationes eos afficiunt. Malum et peccatum personæ forma induunt, et sub satanæ imagine cogitant; conscientiæ morsus minæ satanæ ipsis videntur; accusator internus, phantasiæ operâ satanæ specie vestitus, eos postulaturus coram dei tribunali progreditur. Quibus crassis repræsentationibus et sensualibus imaginibus alias repræsentationes crassas et sensum

moventes, et alias phantasiæ imagines mitiores opponere oportet, si homo simplex, qui intimo animo culpa sua angitur, quietem et tranquillitatem animi accepturus sit. Amorem quoque personificare oportet, partes quoque ejus ab aliquo sunt agendæ, et sub sensuali servatoris perpetientis et sangvinantis imagine misericordia divina a talibus hominibus demum percipi possit; sacrorum ministrum vero, quovis modo doctrinam de expiatione exponentem, conditiones ejus, poenitentiam scilicet, conversionem et meliorem agendi vivendique rationem, quibus observatis solummodo valeat, inculcare nunquam oblivisci debere, et anxie ei esse cavendum, ne afflictus, animi morbo liberatus, deinde noxiæ securitati se tradat, per se intelligitur.

8) Postremo sub certis περιςασεσι sacrorum ministro licitum esse oportere arbitror, re cum præposito et episcopo deliberata, certas poenitentiæ regulas et exercitationes præscribere. Cum contritio certum fastigium attigit, et vox conscientiæ tonans plerisque externis impressionibus obstrepat, et mentem hebetat, ita ut quævis res hilaris illam non moveat; cum homo culpam suam fixis oculis intuens cetera omnia

negligit, tum fortes tantum externæ impressiones et corporei dolores animum ab ista cogitatione, quæ eum excruciat et ejus est erynnis, eripere valent. Tali homini flagellum porrigere, quo aut quotidie, aut angore nimis crescente, certum ictuum numerum sibi infligeret, certe ei utile nec aliis hominibus noxium foret. Nam si modo severa flagellatio injungeretur, ita ut sangvis effunderetur, et hæc omni silentio in conclavi fieret, haud esset timendum, ne pravæ de æternas peccati poenas expiandi facilitate opiniones hac re in animis vulgi orirentur et alerentur. Omnes quorundam delictorum v. c. stupri et adulterii poenæ, tam ecclesiasticæ quam civiles, sive edictis, sive genio seculi ingravescente abrogatæ sunt. Homo igitur sensualitati deditus, ut jam est rerum conditio, libere et nulla re turbatus peccare perseverat, donec conscientia experrecta ei æternitates horrendas minatur. Melius ei consultum foret, si aliquanto magis puniretur in hac vita, et alteram aliquanto minus perhorresceret. Si interdum rumor percrebesceret, hunc vel illum, mali conscientia agitatum, se ipsum ad sangvinem usque flagellare, horribilis conscientiæ vis eo magis evidens foret genti juniori, levitati de-

ditæ, et forsan hic vel ille satis mature ab eo facinore deterreretur, quod nunc, secundum omnia instituta civilia, nonnisi leve vel plane nullum peccatum existimet. Nunc enim homo, mali conscientia agitatus et scrupulis deditus, plerumque a plebe stultus et delirans existimatur, nec ullum a vitiis absterrens exemplum præbet. Tales flagellationes non, nisi summa necessitate cogente, injungendas vel commendandas esse per se patet. Nonnullos vero homines, qui alias ut desperationis victimæ caderent, autochiriam perpetrarent vel in delirium conciderent, talibus poenitentiæ exercitiis vel peregrinationibus religiosis servari posse, persvasum habeo. Novi tales homines, qui per plures noctes, nudis genibus nixi, preces in atrio ædis dominicæ fundentes vel brachia et crura cultro lacerantes, requiem animi et solatium petebant. Flagellationem interdum etiam ut irritamentum externum utilem esse, verosimile videtur. Reilius in libro de febribus Vol. IV. pag. 482 irritationem cutis et sensus communis (Gemeingefühl) commendat, "quæ ad cerebrum propagatur, et novam in dementis cogitationum compage commissuram inserit. Ejusmodi sunt cantharides, fonticuli et aliæ viæ humoribus

corruptis apertæ, quæ dolorem procreant, detrahunt, et salutares sunt in deliriis, quæ modo traductitio, sit venia verbo, aliorum morborum loco oriuntur." Modo magis sensibili flagellatio in horum remediorum loco substitueretur, et idem ac frictio cutis cum scopulis (Fleischbürste) efficeret.

Causa IVta.

Vel quartum causarum genus.

Causæ physicæ.

Causa melancholiæ religiosæ vel afflictionis quoque physica seu corporea esse potest. Tum angor animi oritur ex una vel altera perturbatione corporea, ex uno alterove morbo, qui nervos et cerebrum modo nocivo afficit. Interdum ægroto in mentem venit, morbum ipsum esse poenam immediate divinam, qua re in scrupulos religiosos incidit; in aliis ægrotis valetudo corporis in universum animum ad tristitiam et anxietatem disponit, et ita melancholiæ religiosæ viam sternit. Physicæ morbi hujus

lugubris causæ permultæ sunt; quarum præcipuæ sequentes videntur.

1) Cibi duri et sicci, quibus fruuntur homines, qui postquam diu gravi labori consveverunt, vitam ignavam et quietam degunt.

2) Labor gravis et assiduus sub calore vehemente gestus, quo sangvis densus fit.

3) Enervatio, nimia venere vel onania orta.

4) Petigo vel alia scabies retorta.

5) Omnes evacuationes et excretiones repressæ, et imprimis apud sexum muliebrem menstruatio perturbatione aliqua corporea retenta.

Causæ physicæ afflictionis minus vulgares sunt: Vigiliæ vel lucubrationes diuturnæ, potus inebriantes, abusus opii vel alius substantiæ narcoticæ, ictus vel plagæ capitis, heliasis, cerebrum igne camini vel fornacis calefactum, sangvifluxus vel hæmorrhoidæ retentæ, sudor pedum inhibitus, extuberationes et fonticuli concrescentes, erysipelas vel ignis sacer repulsus, febris pipere et spiritu vini abacta.

Porro lugubris experientia, ut satis constat, nos docet indolem melancholiæ et dementiæ nonnullis in familiis hæreditariam esse. Ve-

luti liberi sæpe vultu parentibus similes sunt, ita quoque ab iis interdum hæreditate accipiunt vehementem animi temperationem et phantasiam nimis vividam atque plus æquo intensam. Hi homines magis quam alii melancholiæ et dementiæ obnoxii sunt, nisi causas istorum morborum occasionales evitare possint. Multi tamen animo ægrotorum parentum liberi, ab hoc malo servati sunt, cum parum optabilis hæc indoles bona educatione physica et justa mentis medicina diætetica diminuta est.

Præterea inter causas physicas numerari possunt graviditas et puerperium. Nonnullæ mulieres solent, dum utero ferunt, melancholiæ se dedere, quæ partu edito rursus evanescit. Aliæ post puerperium melancholiæ obnoxiæ sunt; qui vero morbi, raro diuturni, a perito medico sanari plerumque possunt.

Potatores, quibus potus inebrians subito et quasi uno ictu aufertur, animi morbo interdum expositi sunt. Vir quidam, qui quamquam ebrietati nullo modo erat deditus, per longam annorum seriem certis septimanæ diebus genium suum hordacea firmiore et forsan quoque vino vigenti curare consveverat, aliâs vero quietam vitam, absque violento animi corporisve motu

degebat, corruit in melancholiam religiosam, quæ mox in maniam religiosam transiit, cum quæstu diminuto ab his potibus sponte abstinere statuerat. Mox, contra morem solitum, incepit de magna impietate et multis vitiis, quæ in urbe ejus invaluissent, verba facere, et brevi post putabat, se spiritum sanctum habere, quem aliis spuendo in os eorum impertiret.

Animi morbum contagione propagari posse ex uno eodemque horrifico exemplo compertum habeo. Uxor enim viri nuperrime nominati fida et honesta, cum per tres noctes totidemque dies cum illo vigilasset, ut ei quietem pararet, passa est, ut sibi, modo jam relato, spiritum sanctum (ut ajebat) impertiret. Sequenti vero die tam demens facta est, ut amicum introeuntem quæreret: "videsne cor meum nigrum"? et ut mox necessarium esset, eam simul cum marito in claustrum furiosorum auferre. Filia vero, quam ad sanctum spiritum eodem modo recipiendum cogere voluit, hoc firmiter recusans et aufugiens servata est.

Animi morbum contagiosum fieri posse, cum homo sanus sangvinem vel humores ægroti in suo corpore recepit, probat quoque infelix exitus experimentorum, quibus Lutetiæ Parisio-

rum sangvinis transfusionem experti sunt, cum homines, quibus ad ea utebantur, dementes facti, rabie et furore oppressi, misere perierunt, (vide Reil pag. 401); quo factum est, ut senatus hæc experimenta vetaret. Contagionem sola exhalatione vel tactu oriri posse, e contrario haud probabile videtur. Quod enim famuli et apparitores in claustris furiosorum interdum singularem animi temperationem assumunt et postremo prorsus animo ægrotant, id aut ex imitandi impetu, aut ex eo, quod animus eorum tam diu imaginibus dementium repletus fuit, explicari potest. Vermes denique, imprimis lumbrici vel tæniæ, nervis alvi nocent, et totum nervorum systema modo nocivo afficiunt, qua re melancholiæ et animi morbi auctores sunt.

De remediis physicis.

In causis physicis afferendis aliquanto prolixior fui, non quia justa remedia, quibus effectus eorum in singulis morbi casibus tolli possunt, afferre valeo; nam qui hoc faceret, medicinæ deberet peritus esse; sed quia sacrorum ministri et alii homines, sana mente gaudentes, persæpe medico (qui interdum ægrotum parum

cognovit et raro vidit) in causis morbi tam propioribus quam remotioribus investigandis auxilio esse debent. De remediis contra melancholiam et animi morbum et de ejus curatione peritum medicum consulere semper oportet. Hoc tamen loco nonnulla, quæ experientia vel boni libri de hac re docuerunt, afferam eo imprimis consilio, ut benevolum lectorem ad arbitrarium et temerarium nocivorum mediorum usum prohibendum excitem. Melancholici et afflicti sæpe admodum voraces sunt, et continuo aliquid manducare cupiunt; quare persæpe far, pisa matura vel fabas maturas mansum occupant. Quo minus vero hoc fiat, prohibere, et potius, si res permittant, occasionem maturos fructus comedendi v. c. cerasa, fraga, mora vel uvas illis præbere debemus. Celeberrimus Paulitzky ait, fruitionem talium fructuum subacidorum, maturitate dulcium, melancholiam quin etiam vehementissimum furorem sæpe sanasse, cum per aliquot septimanas una serie sequentes ægrotis magnam eorum copiam comedendi occasio data esset. Fructus maturi maxime prosunt, cum mane a jejunis eduntur, et quidem tanta multitudine, ut lienteriam vel profluvium alvi excitent. Omnia alimenta levia, plantæ,

radices, lactuca, olera, asparagi et q. s. ej. g. melancholicis et afflictis utilia sunt; omnis esca dura et sicca, (carnes fumatæ, cruda alimenta farinaria, legumina, fructus immaturi, caseus repositus, condimenta, aromata et allium) e contrario noxia est.

Inter potus commendationem merentur serum albumine defæcatum, potus ex Zichoria Leontodonte Taraxaco, lappæ et graminis radicibus aqua decoctis compositus et melle dulcis factus. E contrario cerevisia pingvis, spiritus vini, et sorbitio fabagina nociva sunt.

Quoad victum cæteramque corporis curam sacrorum minister interdum errores et abusus avertere et ægroti amicos ab iis arcere potest. Necessarium quidem sæpe est plebejo pauperi edere, quodcunque in promtu est, et bibere, quæ obtinere potest, neque semper ea eligere potest, quæ maxime prodessent; sed interdum tamen sacrorum minister ei persvadere possit, ut ægroto cerevisiam levem pro pingvi vel serum pro spiritu vini præbeat, et quæ s. s.

Est vero abusus quidam, quem sacrorum minister omni studio arcere conetur, scilicet temeraria et nimis frequens *sanguinis missio*; quæ imprimis in animi morbis admodum nociva

et perniciosa evadere potest. Si ad ea, quæ ipse vidi et expertus sum, provocare licet, in omnibus animo ægrotis, quorum venæ incisæ sunt, morbus characterem tranquilliorem quidem sed perseverantem assumsit. Cum medicus et amici autem ab hoc remedio abstinuerunt, furor quidem interdum violentior fuit, sed ægrotus restitutus est. Ipsa ratio quoque docet, morbum ex debilitate vel defectu virium ortum, (asthenicum), debilitate sangvine misso adaucta, difficilius posse sanari. Quam sententiam confirmatam inveni apud Reilium de febribus Vol. IV pag. 325 *).

*) Dazu kömmt noch die falsche Behandlung durch übermässige Aderlässe, Purganzen und Brechmittel, die häufig im Wahnsinn angewandt wird und alle Naturkraft zerstört, durch welche eine heilsame Krise hätte zu Stande kommen können.

Allein wenn gleich der sthenische Character die antiphlogistische Kurmethode nothwendig heisschte: so passe sie nur so lange als er vorhanden ist. Fehlgriffe in diesem Punkt, nemlich die Anwendung übertriebener und unzeitiger Schwächungen besonders durch Blutausleerungen und drastische Laxanzen, stiften den grössten Nachtheil. Leider kommen sie nur zu oft vor. Der rohe Schlendrian, die Idee, dass die Melancholie von einem dicken Blute, und die Tobsucht von Entzündung des Gehirns ent-

Porro sacrorum minister, et quisque alius ægroti amicus, ut interpres et internuncius medici et ægroti plebeji, intento animo *naturæ ad medendum morbo conatum*, (die Naturbemühung zur Heilung der Krankheit) observare debet, ut medico possibile fiat, naturâ viam, qua homo restituatur, monstrante, ei opem ferre, et viam, qua sibi ipsi juvatura videatur, sternere et planam reddere. Interdum morbo cutis, scabie, ulcere, interdum quoque hæmorrhoidis natura morbo mederi conatur. Exstat quoque exemplum, quod juvenis, qui parum prospero amore exspes in melancholiam conciderat, salivatione naturali in sanam mentem rediit.

Oportet igitur tales naturæ conatus intento animo observare, et medico indicare, simulac apparere incipiant. Usum autem medicaminum, proprie sic dictorum, quibus animi morbus tollatur, medicus peritus præscribere debet, et iis

stehe, verleitet die Aerzte und Wundärzte, ohne Rücksicht auf die Umstände gleich und wiederholt diese Mittel anzuwenden.

In der That gehört in Beziehung auf die Aerzte die Verbesserung dieser rohen Empirie unter die vielen Ansprüche, die diese unglückliche Menshhenclasse an eine humanere und gebildetere Zukunft macht.

proprio marte uti nullo modo experiri debemus. Omnia enim medicamina, quæ in animi morbis aliquid efficere possunt, et modo specifico cerebrum, animi organum, afficiunt v. c. Datura Stramonium, Hyoscyamus niger, Atropa belladonna, Digitalis purpurea, Camphora, Opium etc. aut sunt vera venena, aut species acerrimæ, quarum usum medicus solus præscribere et instituere valet.

Interdum ægroto prodesse possumus, cum illum ad corpus movendum vel ad opus suscipiendum excitemus, quare et animus a nocivis cogitationibus fixis aliquo pacto distrahatur, et proximi ejus a tristissimo ignaviæ ejus conspectu liberentur. Ita mihi contigit, mulierem melancholiæ religiosæ et errabundæ deditam, quæ ne minimum quidem opus propriæ utilitatis causa suscipere vellet, aut posset (præ se ferebat enim, se laborare haud posse propter animi anxietatem) commovere, ut per longum temporis spatium gratis (ut ipsa saltem putabat) pro me neret. Nescio utrum cogitatio superstitiosa: "factum scilicet esse deo placens pro homine ecclesiastico laborare, et linum ejus diabolum posse arcere," an vero gratus animus vires ei suppeditaverit, ita ut pro me neret, cum pro

se ipsa nere non valeret. Fuerit quodcunque, hoc modo tamen per longum temporis spatium ad industriam quandam commota est.

Quamdiu ægri curationem domi continuare oporteat, et quando ducendus sit æger in nosocomium vel claustrum furiosorum, ex περιςασεσι dependet. Si curatio ejus domi non accurate fieri possit, si ibi victum a medico præscriptum habere nequeat, et a cibis vetitis abstinere nolit, bene facimus, cum collocemus ipsum in nosocomio, ubi medicus eum quotidie videat. Dolendum autem est, hoc, in Fionia saltem, non sine magnis sumtibus fieri posse. Si morbus ægri ita invaluerit et tam demens factus sit, ut sibi ipsi aut aliis sit periculosus, vel si aliquis ex cognatis vel domesticis ejus tam multa morbo ejus perferat, et tantopere eo vexetur, ut timendum sit, ne eo pereat; si morbus characterem durabilem assumserit, tum nihil reliqui sit, nisi ut ægrum in nosocomium vel claustrum dementium ducamus. Utrum hoc sine mora an cunctanter fiat, dependet de statu hujus claustri et de fiducia et opinione, quam de medico et præfecto ejus fovemus. Quorum claustrorum, ut in aliis terris inveniuntur, hor-

ribilis descriptio legitur apud Reilium libri sæpe citati Vol. IV pag. 513 *).

*) Die Kranken sind gewöhnlich verlohren, wenn sie in die Tollhäuser kommen wie sie jetzt sind. Die meisten Tollhäuser unsrer Gegend sind Anstalten für welche die Menschheit mit Schaudern zurückbebt. Sie verfehlen ihres Zwecks. Auf die Idee der Wiederherstellung ihrer unglücklichen Bewohner, auf die Idee dieselben soviel Glück geniessen zu lassen, als es ihre innere Verkehrheit zulässt, sind sie nicht berechnet. Die Ankömmlinge, die unter bessern Anstalten hätten geheilt werden können, sind unheilbar in diesen Anstalten, und werden meistens darin ohne Mitgefühl, und mit der grössten Barbarey behandelt. Ein Nebenzweck derselben wird zum Hauptzweck gemacht. Man betrachtet sie als blosse Verwahrungsanstalten zur Sicherheit für andere, worin man die Verirrten als Inventarienstücke aufhebt, oder als seltene Bestien einsperrt, damit sie keinen Schaden thun, und der Hoffnung gemäss arbeitet, diese Leute sobald als möglich dem stillen Grabe zu überliefern.

Mir sind Fälle bekannt, dass selbst in öffentlichen Tollhaüsern unter uns Menschen eingesperrt gewesen sind, die nicht verrückt waren. Wie viel leichter ist dieses in Privatanstalten möglich. Die Eingesperrten sind der grausamsten Behandlung ausgesetzt, gar nicht einmal ihres Lebens sicher, sie leiden an einem Orte, der der Polizey unzugänglich ist, und

In patria nostra claustra stolidorum et dementium huic descriptioni non sunt similia, et in uno eorum mihi notissimo non solum medicus et præfectus, sed etiam ministri clementia et humanitate sunt insignes. Solummodo deplorandum est res talium institutorum, donationibus majorum et legatis patrum conditorum, interdum parum prosperis casibus et negligentia et frigore eorum magistratuum et episcoporum, quibus negotium vigilandi pro illis demandatum esset, ita diminutas et in alium usum dissipatas esse, ut nervus rerum gerendarum desit. Nec minus dolendum, præfectum nosocomii ut rationatorem institutorum magni ambitus, rationibus implicita nostra re pecuniaria difficilibus, sacrorum nosocomii ministrum, ut alius numerosi coetus diaconum, multis negotiis, et medicum nosocomii, ut amplæ regionis chirurgum, multis excursibus, tam sæpe ab animo

sind aller Hofnung beraubt, sich den Händen der Barbarey zu entwinden. Man hat Beyspiele, dass die Kerkermeister dieser Anstalten bey einer bewerkstelligten Visitation die Vernünftigen so lange bey Seite geschafft oder mit betäubenden Mitteln ihrer Sinne beraubt haben, damit sie den Beschauern von ihrer Lage keine Vorstellung machen konnten.

ægrotis administrandis avocari. Quorum infelicium hominum curatio labor est tam difficilis et tam sæpe irritus, et ideo tam fatigans et exhauriens, ut facile homines tædio ejus capiantur et eo defetiscant. Nec mirum igitur eum, qui simul altero magni ambitus munere fungatur, quo laboris sui fructibus fruatur, hoc ut præcipuum opus, illud vero ut parergon spectare.

Ex omnibus, quæ mihi de magnetismo animali, quem vocant, innotuerunt, verosimile videtur, eum afflictis imprimis iis, qui insomnio vexantur, salubrem fieri posse. Quoniam vero de usu ejus in afflictis curandis nil certi statuere possum, sufficiat hanc rem nominasse.

Vta. Afflictionis causa.

Pseudopietistarum convertendi studium.

Quinto loco afflictionis causa quæri potest in convertendi studio, quo capti sunt fanatici pseudopietismo dediti. De his hominibus in universum sententiam pronuntiare, non magis æquum esset,

quam de aliis hominibus in universum aliquid statuere. Fieri quidem potest, ut nonnulli eorum sint fraudatores, qui religione abutantur, vel, si ita dicere licet, pietatem vi venentur et ad anhelitum usque sectentur, ut fines terrenos, viles et interdum sordidos assequantur. Plerique vero eorum sine dubio sunt sinceri christiani, quorum solummodo disciplina dogmatica a recentiorum theologorum placitis seculo vel semiseculo distat, sed eadem est, quæ centum vel quinquaginta abhinc annis ab omnibus theologis orthodoxis assumebatur, et quam hi homines, antiquos libros asceticos legentes, retinebant vel recuperabant et urgebant. Ut inter ceteros christianos alii inveniuntur homines, quorum religio vera est, alii vero, quorum religio mentita vel simulata, (quorum simulatorum iterum duo sunt genera, prius eorum, qui *se* ipsi simulatione decipiunt, et posterius eorum, qui alios homines simulatione decipere student), ita quoque inter pietistas. Pietas eorum aut est vera aut falsa, et falsa iterum aut est mentita aut opinata. Quorum autem pietas falsa est, eos omnes dicimus Pseudopietistas. Homines sæpe fanatismo ut velamine libidinis abusos esse, et libidinosos

iterum ad turpes fines assequendos fanaticis formulis usos esse, satis constat. Satis communiter omnibus, qui per antiphrasin sancti dicuntur, crimini datur, quod sextum decalogi præceptum obliterare velint, vel quod in universum aliquanto sint procliviores ad peccandum contra sextum præceptum, quam alii homines. An hæc criminatio tam crebro proferatur, quia eam certis indiciis utrinque argumentari tam difficile est, ut suspicio liberius se exhibere queat, an vero non temere credita sit, quippe quæ rationibus idoneis nitatur, hac de re nil certi statuere audeo. Hoc tamen verosimile videtur, illos in hac re non magis esse sanctos, quam alios homines; cum vero nonnulli eorum in hac re peccaverint, ceteris omnibus immerito hoc vitium crimini datur. Ita novi mulierem ceterum prudentem et honestam, quæ quoad ritus se aliquo modo ab ecclesia nostra separabat, quippe quæ de mentita pseudopietistæ cujusdam pietate persvasa, ad aliam extremitatem transiverat, ita ut omnem externum cultum sperneret. Juvenili ætate, ut puella septendecim vel octodecimannos nata, nonnullis pseudopietistarum in chersoneso cimbrica conventiculis interfuerat, et intimo ex corde

persvasum sibi habuerat, hanc esse veram salutis viam. Vespere vero a tali conventiculo rediens cum aliquo eorum, qui in conventu severissimæ pietatis speciem et oratione et vultu præ se tulisset, hic sanctus via solitaria conditiones admodum profanas ei commendare, et eam alloqui incepit, eodem fere modo, quo seniores Susannam in lavacro alloquuti sunt. Quam rem mirata et indignata, omnem postea externam pietatem et sanctitatem tantopere aspernata est, ut non solum unum quemque, qui ritus sacros accurate et religiose observaret, simulatorem putaverit, verum etiam per totam vitam omnem externum cultum contemserit. Etsi tantum pro certo sciret, unum [ex iis, qui piis istis conventiculis interfuisset, esse simulatorem, mox conclusione præmissis ampliore sibi persuadebat, ceteros omnes, qui pios se profiterentur, etiam esse simulatores. Talibus vero conclusionibus plerique, qui *omnibus* pietistis unum aliquod vitium tribuunt, vulgo utuntur.

At enimvero ex psychologicis rationibus verosimile forsan videatur, eos homines, qui subito ad externam pietatem transgressi sint, magnam retenturos esse ad libidines proclivita-

tem, quæ etiam subito eorum ad sanctitatem externam transitu augeri queat. Ut jactura aliarum oblectationum sensualium, quam subita animi refrenatione faciunt, aliquo modo pensetur, libidinibus quoad sexum indulgent, quæ scilicet libidines facilius occultantur, et sanctitatis velamine adopertæ, externam pietatis speciem haud tollunt. Impetus sexualis, vis quædam, quæ generi consuleret humano, secundum naturam et finem suum serius esse videtur, et in hominibus seriis et otiosis maximam vim habet. Impiger labor et innocens hilaritas sunt saccomata, quæ eum reprimant. Quorum prius pseudopietista interdum, alterum vero semper conversione sua amittit; qua re fieri potest, ut impetus sexualis in eo pondere suo vincat. Est quidem certa quædam tranquillitas, quæ saltatione et jubilo præstat; hæc vero apud pseudopietistas, insidiis et tentationibus diabolicis vexatos, raro invenitur. Potest quidem primo intuitu mirum et paradoxum videri, quod hilaritas huic impetui reluctaretur, cum sæpe creditum et dictum sit, juvenilem animi levitatem et hilaritatem dissolutioni morum occasionem præbere. Attamen accuratiore rationum ponderatione appariturum credo, hilaritatem, honestam

et innocentem puto, quæ nondum, cum moribus depravatis conjuncta, lascivia vel petulantia facta sit, impetum sexualem magis reprimere, quam præposteram, naturæ repugnantem, moestam et contortam severitatem. Ars musica, probi cantus, saltatio inter honestos homines, bona spectacula et innocens jocus, eum magis debilitant, quam continua domi commoratio et iners desidia. Utrum, quæso, puer alacer, qui lusui cum æqualibus vacat, ubicunque se agitat et exercet, an is, qui ludos detrectans domique in camini angulo sedens, hilares æquales ut stultos deridet et serio vultu contemnit, magis clandestinis juventutis peccatis est obnoxius? Num certius est innocentiæ adolescentis indicium, quod saltationem et gaudium puerile se indignum existimet, quam quod gaudens saltet?

In illis coetibus, ubi uxores sorte eliguntur, firmissimum fulcrum fidei conjugali una cum amore juvenili deest; quem universalis amor christianus non magis compensare valet, quam cosmopolitismus amorem erga patriam. Adolescens in istis coetibus eo quoque castitatis fulcro caret, quod amandæ ideale vel amata ab ipso electa alias ei in difficillimis annis præberet.

Pseudopietistæ quoque libidinem sibi ipsi facilius excusare possunt, cum eam ut instigationem diabolicam contemplentur. Est scilicet impetus sexualis ejus indolis, ut facilius quam alii impetus homines ad cogitandum de instigationibus inducat. Quæ omnia disputata sunt nullo modo in eum finem, ut pseudopietistas libidinis accusarem, nam sinceri inter eos impetum sexualem (ut et alii homines) regere et coercere valent; sed eo consilio, ut lux aliqua huic rei affunderetur, et sacrorum ministris ostenderetur, quantopere necessarium sit pseudopietistas attentis oculis et intento animo observare, et quam anxie cavendum, ne convertendi solandique studium, quod præ se ferant, turpium libidinum velamen et prætextus fiat.

Præter abstinentiam ab oblectamentis, et a jurejurando, non vero a diris imprecationibus (nam misericordes eorum damnationes, qui secus sentiunt, exsecrationibus haud præferendæ sunt), præter quietam agendi vivendique rationem et devotionem externam, certa quadam diaboli prædilectione (si ita dicere licet) agnoscuntur. Diaboli existentiam ut palladium suum defendunt. Praeterea notabiles sunt crassis de coelo et tartaro notionibus, et eo quod de spi-

ritus boni et diaboli instigationibus persvasi sunt vel saltem se persvasos esse dicunt, et quod Christum pluris quam deum faciunt. Doctrina eorum minus est doctrina Christi, quam doctrina *de Christo*. Deum patrem ejusque in rerum natura revelationem pæne obliviscuntur, filii et sacræ scripturæ de eo verborum unice memores. Fidem, ratione posthabita, extollunt, doctrinam de satisfactione pluris quam disciplinam de virtute et officiis faciunt. Absolutum decretum, prædestinationem, gratiam dei salutarem et damnationem æternam animo et dictis perpetuo volvunt. Propriam suam salutem cum metu et tremore operantur, et salutem aliorum, proselytos faciendo, operari gestiunt. Ipsi anxii et de industria afflicti, alios de salute æterna angere student, et temerarius jurandi et obsecrandi usus plerumque ansam iis præbet, qua conscientias capiant.

Homines, qui scripta Johannis Hauge legunt, sola eorum lectione anxios fieri posse, ex iis apparet, quæ Dr. Neumannus refert in scriptis theologicis menstruis a Fallesenio editis 1805 mensis Januarii pag. 108 et 109. Narrat enim Neumannus, puellam octodecim annos natam de religionis veritatibus bene instructam, scrip-

tis a Hauge editis perlectis eo redactam esse, ut de propria sua et proborum parentum salute dubitaret et angeretur. Exemplum ejus potentiæ, quam interdum placita et præcepta fratrum Moravorum in debilia capita exserere possunt, refert Reilius libro sæpe citato pag. 407. Mulier scil. quæ inter hos fratres venerat, amore in Christum adeo inflammata fuit, ab cum nulla alia re occuparetur et nil aliud cogitaret, demens facta sit. Tissot eam visitans, quæstionibus prolatis, nullum aliud ab ea responsum accepit, quam ista verba: "mi dulcis agnus!" quæ quavis dimidia hora submissis oculis denuo pronuntiabat.

Vtæ afflictionis causæ remedia.

Simulac pastor subsentit aliquem e suis parochialibus scrupulis esse deditum vel cogitationibus affligi incipere, mox, si in ipsa parochia vel in proximis coetibus pseudopietistæ reperiuntur, omni studio explorare debet, an non angor afflicti ab eorum convertendi studio profectus sit. Si hujus rei vestigia reperit, omni quoque diligentia indagare debet, nonne proselytum suum eo pastorum odio eoque ordi-

nis clericalis contemtu imbuerint, quibus ipsi sæpe repleti sint. Si hujus odii et contemtus vestigia in afflicto reperit pastor, eo majore assiduitate et vigilantia propriam suam agendi vivendique rationem observare debet, ne imprudentibus et inconsideratis dictis aut factis aliquam ordinis sui contemnendi occasionem præbeat, nedum aliquo modo infirmis sit offendiculo. Probitate, sinceritate et recti exemplo studeat, ut omnium existimatione dignus sit; per zelum in munere fungendo et in commodo parochiæ curando hominum amorem et fiduciam comparare debet; his enim gaudens sperare potest, verba ipsius plus ponderis habitura, quam verba imperitornm et sciolorum doctorum. Pastorem vero quemque dignissimum tantum pollere, ut Pseudopietismum extra parochiæ fines teneat, nullo modo contendo. Progressus vero ejus inhibere et ipsos Pseudopietistas innocuos facere, bonum, quem mihi fingo, pastorem posse arbitror. Pastor, qui frugalitatem et probos mores cum beneficentia et zelo in munere fungendo conjungit, multum efficere potest. Beneficia conferre debet; sed quomodo hoc poterit, rerum inopia coarctatus? Negari haud potest, præsentium temporum περι-

ςασεὺς, cum pastor, exactoris publici vel publicani instar, decimarum tertiam partem a rustico accipit, ut maximam ejus partem tributi nomine ærario pendat, vires diminuisse, quibus ordinem suum dilectum faceret, et religioni aditum ad hominum præcordia aperiret. Pastori aliquid superesse debet, quod egenis parochialibus impertiatur. Pastori pauper verecundus conditionem suam indicat, diu antequam animum inducere potest ad egestatem suam ceteris pauperum curatoribus aperiendam et ad supellectilia sua in tabulis referenda. A pastore strenuus et impiger paterfamilias, cujus res familiaris infortunio quodam diminuta est, mutuum accipere cupit, ne foenera et creditoris acerbitas ei sint timenda. Ad lectum ægroti vocatur, cujus morbus sanari posse videtur, sed opus est medicaminibus, quæ æger solvere nequit, ope medici, quam æger inops recompensare nequit, cibo tandem et potu ægro aptis, quos vero æger non habet, et qui non in domo ipsius, sed in domo pastoris parari possunt. Ei, ut brevis sim, sexcentæ occasiones ad bene faciendum, ad miseriam levandam, ad dolorem permulcendum et miserum recreandum apertæ sunt, si ex propria crumena opem capere possit, nec omne auxilium, quod

egenis feratur, parochialibus sæpe pauperibus æquando imponere coactus sit. Ad pastorem veniunt pauperum parentum pueri, qui scholam frequentare debent sed nullum vel saltem nullum aptum librum habent; ei clinicus seu ægrotus lecto affixus desiderium aperit de libro ascetico, qui ipsum consolaretur. Quibus de causis pastori aliquid, quod donare possit, superesse debet, quod ut habeat, omni studio frugalitati et parcimoniæ operam navare debet ɔ: usui peti, spiritus vini, herbæ sinicæ, caldæ arabicæ, sachari et vini, ratione rei familiaris et redituum habita, renuntiare debet; nam præstat ab his rebus abstinere, quam facultate egenos auxiliandi destitutum esse. Pastor, qui hac juvandi facultate gaudet et utitur, qui impiger est verbi divini minister, probis moribus insignis, strenuus plebis contra oppressores et hirudines defensor, ejusdem coram medico interpres, ejusdem contra rabularum calumnias et sycophantarum cavillationes propugnator; qui ægros, imprimis morbis periculosis et contagiosis laborantes, visitat, non solum eos, qui domi sacra coena uti cupiant, sed etiam alios, qui medicamentis careant, et quibus hæc afferat, et quid agendum et quomodo curandi sint edo-

ceat, multum in parochia sua efficere potest. Paucis, si neminem sine solatio a se abire patitur, sed omni vi plebi in rebus corporeis opem ferre conatur, haud est timendum, ne plebs aliis ducibus in rebus spiritualibus vel religiosis se committat, aut pastorem inter pharisæos et scribas hypocritas numeret. Talem pastorem grex ejus vix mercenarium putet, nec ei reditum invideat, cujus modo dispensatorem se existimat, qui eum egenis impertiri debet. Si nihilo secius pseudopietistas in parochia sua subsentit, abstinere a saltatione, chartarum lusu et talibus rebus, qui illis offendiculo forent, abstinere (vide scripta menstrua theol. Fallesenii mense Januario 1805 edita pag. 122) et tam biblice quam possit concionari debet. Ad afflictum vocatus, quem pseudopietistæ de salute anxium reddiderunt, pastor cum eo veluti cum aliis afflictis loqui et agere debet, simul vero amicis ægroti palam declarare, eos, si quid boni redundaturi ad ægrotum ex adventu ipsius sperare velint, alios nominatim invocatos istos animi curatores removere debere, quoniam hi alias, quod ab ipso exstructum foret, diruerent; hi, quod ipse affirmaret, negarent, et quia duo animi curatores, quorum alter cum altero

non deliberet, afflicto haud magis prosint, quam duo medici, quorum alter cum altero non conferat consilia. Si æger hoc pastori non concedit, nulla huic est spes efficiendi aliquid boni; tum vero occasionem colloquendi cum illo pseudopietista quærere debet, ut hujus notiones religiosas comperiat, dijudicandi causa, sitne necessarium, re magistratibus indicata, pseudopietistam per interdictum ab ægro amoliri, necne; nam sua sponte ab incepto non absistet, ad quod perficiendum divinitus se vocatum vel a spiritu se excitatum existimat. Sub certis quibusdam περιστασεσι forsan e re esset, nodos, quos ipse nexerat, ei enodandos committere, vel ei tradere munus eos solandi, quos ipse timore diaboli et tartari imbuerat et anxerat.

Si nulli pseudopietistæ apud afflictum fuerunt, sed ejus cogitandi ratio pietismo tamen affinis est, examinandum est, quænam scripta ascetica legerit. Interdum singula celebrium et commendatissimorum antiquioris ætatis asceticorum loca plebejo inculto, qui verbo tenus omnia intelligit, maximam anxietatem procreare possunt. Exempli instar, locum e libro Johannis Gerhardi, qui inscribitur *exercitium pietatis* partic. III. Cap. XIII. ubi sermo est de

insidiis diabolicis, afferam: "Serpens est (sc. diabolus) per fallacem deceptionem, leo per violentam aggressionem, draco per crudelem oppressionem. Ipsum coelestis exercitus ducem ausus est aggredi: num gregario mihi parcet militi? Ipsi capiti non dubitavit se opponere, quid mirum, si infirmum corporis mystici membrum cogitet prosternere? Nulla in me virtus, quæ possit adversus hunc fortem armatum subsistere, nulla in me sapientia, quæ possit fraudes ac retia hujus μυϱιοτεχνȢ effugere etc."

Tales libros pastor ab ægroto mutuos sumere et alios, qui melancholicis et superstitiosis ejus ideis minus alimentum præbeant, et tamen, si fieri potest, ipsi placeant, ei mutuos dare potest. Nullum novi librum, quem in hunc finem magis commendem, quam, ut jam supra dictum est, illum librum, qui inscribitur: *Hellige Opmuntringer i mödige og tankefulde Stunder*, cujus auctor, in libro non nominatus, erat Fridericus Lütken, centurio militiæ navalis. Hic liber enim ea continet, quæ auctori in horis lassis et sollicitatis, quarum sors et incorrupta fides, firma, et nullis minis labefactata, probitas multas ei dederunt, experta sunt. Conscriptus est oratione vigente et ad animum

movendum apta, quæ attentionem legentis comprehensam tenet. Vidi aliquando juvenem rusticum, pietismo aliâs non deditum, qui in hoc libro legendo, quem forte invenerat, ita defixus hærebat, ut ab eo legendo non desistere posset, antequam illum mutuum acceptum domum secum referret. Si liber asceticus omnium ordinum esset, nonnullis forsan mutationibus indigeret, et retractatione melior fieret; ut liber vero asceticus afflictorum, veteri dogmaticæ deditorum, majorem præsenti forma indutus habebit efficaciam.

Ad postremum *regulas nonnullas practicas* et monita dignissimi et ætate provecti pastoris, qui in hac re admodum versatus est, afferre juvabit.

1. ”*Patientia* pastoris constans et indefessa esse debet.”

”Grave est sane patientiæ specimen, cum afflictus aut omnino non loquitur, aut unum idemque in perpetuum repetit; quare et ipse in angustias me redactum sentiam, unum idemque quoque repetere coactus. Quid igitur faciendum? Silere haud debeo, nam eo ægrotum

abigo. Idem semper dicere, non illum tantum, quantum me ipsum tædet. Expedit ergo colloquium cum ægroto instituere de ejus parentibus, educatione, juventute, uxore et imprimis de istius facti occasione, quod nunc deplorat, de moralitate ejus cetera, de vehementibus tentationibus, quibus tandem succubuerit, et de aliis περιϛασεσι; quæ omnia aucta cordis humani notitia remunerantur, quæ et in hoc et in aliis muneris mei negotiis utilis esse potest. Præterea tædium minuetur, quo magis ægrotus veram meam curam cognoscere discit et quo magis aucta ejus erga me fiducia, eum majore confidentia et studio mecum ut cum amico colloquendi imbuit. Interdum necesse erat (rarissime vero, et non nisi summa necessitate cogente, hoc remedio usus sum) curare, ut aliquis me evocaret, cum colloquium diutius duraverit, et patientiæ specimen animo vel pulmoni meo nimis grave fuerit.

2. Pastor, quantum fieri potest *verecundiæ* eorum *parcere* debet, et *debilitatem* eorum *occultam* et aliis ignotam servare.

Omni studio plerumque cavent hi infelices, ne conditio eorum aliis innotescat, et quidem jure suo, nam pravum alios judicandi studium

ex eo alimentum caperet, et, armato nequitiæ suæ oculo, omnia in majus augens, trabem conspiceret, ubi modo erat festuca. Tempore igitur æstivo promtum paratumque me præbui ad conveniendum cum illis procul villa sub dio et in aperto cumpo; quæ sedulitas, a me exhibita, fiduciam eorum non parum augebat et opus sensus suos explicandi iis levabat. Tempore hiberno in casa solitaria eos adire malui, quam ita rem instituere, ut sæpius in domo mea apparerent. Si vero hoc omnino necessarium erat, semper eam diei horam et illum locum in æde mea elegi, quæ libero colloquio aptissima esset, et ubi colloquium nullo strepitu turbaretur.

3. Interdum colloquium precibus breviter et ardenter de auxilio et favore dei fusis incipere juvat. Quibus precibus precari soleo pro afflicto et imprimis, ut deus incepto propitius sit, et opus successu beet. Si afflictus religionis bene est peritus et finem precum cognoscit, externo quoque mei et illius corporis statu preces solenniores et efficaciores facere studui. Suspiria profunda, ab afflicto emissa, et major ejus proclivitas ad libere mecum loquendum mihi persvaserunt, nos haud frustra de hac religiosa actione bene sperare. Meditationes de

cura et amore, quibus mundi creator et gubernator omnes suas creaturas prosequitur, imprimis sub dio, aëre sereno et libero campo institutæ, mox aliqua ex parte mentem et respirationem sublevarunt. Sermonem institui de hominibus, qui, damnum sanitatis vel vulnera membrorum perpessi, auxilio dei et usu remediorum, quæ creator hominibus dedit, iterum sanati sunt, et eo ipso contenti et læti facti sunt. Nonne igitur fas est credere (sic porro meditor) illum deum, qui dedit remedia, quibus infirmitates corporis sanarentur, similia quoque remedia dedisse, quibus animo infirmus sanari possit. Hæc meditatio oculum ægri certe non tristiorem nec animum ejus graviorem faciet, sed contra in eo cupiditatem movebit et desiderium ea remedia cognoscendi, quæ, ut verbis psalmistæ utar, vulnera ejus sanare et animum ejus a mortis faucibus liberare valent. Deinde, accuratissima præparatione antea habita, cum eo de rebus, quæ aptissimæ viderentur, collocutus sum. Dixi v. c. sacram scripturam affirmare, quod dei consilia ad felicitatem et salutem hominum in hac et in altera vita spectant; his consiliis non solum in universum omnibus hominibus, sed imprimis etiam errantibus, qui

reverti cuperent, consultum esse. Jam versum quendam biblicum explicavi, jam exemplum Davidis attuli, et simul psalmos davidicos citavi, vel una cum ægroto nonnullos perlegi ex iis, qui profundam animi ejus dejectionem pronunciant, vel qui gaudium vatis ineffabile, cum animus ejus iterum tranquillus factus esset, describunt. Jam cum afflicto parabolas Jesu egregias de filio deperdito, de ove aberrante vel de pecunia amissa, legi, ostendens, quomodo ipse Jesus sensum harum parabolarum interpretatus sit, verbis de gaudio angelorum coelestium, cum peccatores resipiscentes ad deum revertantur, interpositis. Tristis afflicti vultus sæpe hilaris factus est, dum mecum pium cantum legebat et commentabatur, quem cum ætate provectioribus legendum ex antiquo psalmorum libro elegi v. c. Allene til Dig Herre Jesu Christ! vel: Guds Sön han sagde selv disse Ord, et alios tales, potissimum vero eos, quos afflicti ipsi, ut sibi caros, nominaverant. Cum junioribus autem perlegi egregios psalmos, qui in novo evangelico psalmorum libro inveniuntur a numero 260 ad numerum 284, qui sensus, spem et optata talium hominum bene exprimunt, et qui largam præbent occasionem

ejusmodi psalmos eligendi, qui majori vel minori afflicti anxietati conveniant. Et cum hic psalmorum usus utrumque, et pastorem et afflictum, occupatum tenere possit, medium est saluberrimum et utilissimum, quod magnopere commendatum velim. Veritati haud satisfacerem, nisi confiterer, me nunquam hæc colloquia lætiore cum spe finivisse, quam cum de satisfactione locutus essem: "purum scil. a peccato, peccatoris instar vexatum esse, ut nos per eum justi coram deo evaderemus." Cum dixi, experientiam mihi persvasisse, hanc doctrinam præ ceteris esse aptam, quin etiam forsan unice idoneam, quæ afflicto primum levamen, deinde spem et postremo tranquillum animum dare possit, dicere quoque oportet, me hanc doctrinam nunquam copiose et accurate exposuisse, nisi quo tempore animi temperatio in afflicto conspicua permiserit, ut ratio ejus sermone meo moveretur, non modo ut sensus cordis excitarentur, et quo ei ostenderem, tranquillum animum sinceræ voluntati superstrui debere; alterum igitur, altera nondum impetrata, nunquam esse concupiscendum neque sperandum; non nisi puro corde ornatos a servatore idcirco beatos prædicari, quod deum

visuri sint. Cum vero homo hujus sinceræ voluntatis sibi conscius nihilo minus sollicitus maneret, quippe qui olim nimis debilis fuisset, vel timeret, ne in posterum tam debilis fieret, ut sinceræ voluntati non semper obediret, tum sacro codice prehenso sex priores versus secundi capitis primæ epistolæ, quam amatissimus Jesu discipulus ad christianos scripsit, legendos afflicto dedi. — Et cum postea evenit (et dei beneficio scio, hoc posse evenire), ut anxius postridie mihi vultu cum sereno obviam venerit, et dextra animo læto et commoto data, gratias sinceras deo egerit, ob effectum, quem Jesu doctrina in animum ejus habuit, tum certe affirmabatur, laborem haud irritum fuisse. Cum discedunt hi infirmi et colloquia mea relinquunt, ab iis peto, ut, quæcunque in posterum fuerit eorum conditio, interdum ad me veniant; eos hortor, ut caute vivant, et, nemine animadvertente, eos eorumque vivendi rationem observo. Et nemo eorum, quantum compertum habui, aut melancholia sua obrutus et victus est, aut vitiis et moribus dissolutis se dedit." Hæc quidem hactenus.

Utinam omnes pastores fructus æque lætos e labore suo afflictis adhibito caperent! Equidem non ea prosperitate usus sum, ut tales fructus e labore meo semper viderim; sed non mirum, nam experientiâ et peritiâ juvenis sene longe est inferior.